CELEBERRIMORUM VIRORUM EPISTOLAE DE RE NUMISMATICA AD M. ZACHARIAM GOEZIUM...

Zacharias Goetze




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4
I
26







M. ZACH. GOEZE ILLUSTR. GYMNAS. Osnabrüg. Rector. Anno Ætat. LIV. Officij. XXX.

Symb. Ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται 2. Cor. 12. 9.

I. G. Mentzel sc. Lips. 1716

CELEBERRIMORUM VIRORUM

EPISTOLÆ

DE

RE NUMISMATICA

AD

M. ZACHARIAM GOEZIUM

ILLUSTR. GYMN. OSNABRUG. R.

DATÆ

ACCESSIT


MUSEUM GOEZIANUM


APPENDICIS LOCO

AD

DISSERTATIONES DE NUMIS


PRONUPER JUNCTIM EDITAS





VITEMBERGÆ

APUD VIDUAM MEISELIANAM. MDCCXVI.



Venerande Lector!

P*Arum aberat*, *quin* sexcenta fere *illa XX. Dissertationum mearum de Numis* errata typographica, *a fide, qua ea, quæ nunc cernis, istis subnectere promiseram, me abstraxissent; Cum vero majorem curam pollicitus sit is, qui his foliis sumtus suggessit, Epistolas summorum quorundam Virorum, & exile meum Museum cum Numophylacio, eidem tandem concessi. Cetera, non miror ego, Censorem Halensem, quem, licet Aristarchum nec Zenodotum appellare possim, (Remmii Palæmonis nomen sibi per me sumat) non adeo æquum tamen de iis tulisse judicium. Vos, o Amici mei summi, testor, me jam multo ante hoc providisse, vobisque prædixisse. Satis erat, Vitembergæ impressas fuisse Dissertationes meas, & me in aliquot paginis, vel tempore, vel re ita postulante, Pietastris quibusdam detraxisse larvam, propterea enim inferior ego ad rivum stans, superiori, censori, turbulentam feceram aquam.*

Putares B. L. ad Censorem ista non pertinuisse, non tamen penitus causam verborum suorum abscondere poterat, dum in animadversione "*sua tandem ita: Auctor* verspricht seine "*Historiam Pietismi* in Westphalen zu "*edi*ren/ (*quam quidem ego meditans Historiam Pietismi Westphalici, in lucem edere in Westphalia, nunquam promisi,*) *Hoc male habet virum. Potuit eidem & præfatio non adeo placere. Hinc ita invehitur in Digressiones, ut nihil aliter fere, ac olim larvatus ille Volckmeierus in meas ad Arnoldum annotationes; nec non perstringit inutiles parentheses, quibus sane supersedere potuisset, si errata impressa, iisdemque Dissertationibus subnexa, inspexisset, in quibus ego ipse ad Lectorem ita:* Reliqua v. g. ח pro ה & vice versa, eum pro cum, & vice versa, inutiles parentheses & commata neglecta &c. tuæ humanitati & æquitati relicta fuisse puta. *Sed nodum in scirpo quærit Censor. Critica sunt quædam, & cum reliquis quoad maximam partem, schediasmatica. Qui hujus generis & argumenti Scriptores novit, melius de Dissertationibus meis cum Reverendissimo* Molano, *Illustri* Cupero, *Venerabili* Schmidio *Abbate*, *Celeberrimo* Struvio,

Eccar-

Eccardo, Meinders, Kæmpfero, Nunningio, Oleario, Eggelingio &c. *Viris in re literaria, in Antiquitate & re numaria versatissimis, & non adeo* Male, *sentiet. Ferre etiam hæc potuissem, nisi sui penitus adeo oblitus fuisset Censor, ut non videam, qui a falso se liberaturus, et inter eos, qui Dissertationes meas animo sincero legerunt, fidem suam inposterum sit firmaturus. Verba eius hæc sunt post alia:* „ So gar / daß man " nicht eine einige Zeilen fortlesen kan / " ohne durch eine neue *digression* und " *parenthesin* auffgehalten / und von dem " *scopo* auff gantz andre mit den Haaren " hinzugezogene Neben-Sachen ge- " führet zu werden / dahingegen von " *Observationibus numismaticis* in dem " gantzen Buche nicht so viel stehet / daß " drey Blätter könten davon angefül- " let werden. Ich bin gäntzlich ver- " sichert / daß man kein Buch in der " Welt antreffen wird / das so voller " unnöthigen *Digressionum* und *Parenthesium* steckt / alß dieses rc. „ *Hic ego omnium Vestrum, Lectores Benevoli, ad quorum manus pervenerunt jam, aut etiam perventuræ sunt meæ Dissertationes, vestrum can-*

dorem, hic ego vestram fidem! Hic ego te ipsum Domine Censor, dum ita ipse: "In „der ersten *Dissertation* wird erst über- „haupt *de origine & qualitate numorum,* „und von einigen *Scriptoribus rei numis-* „*maticæ,* die von *Labbeo, Capello, Oleario* „und *Struvio* übergangen worden/ ge- „handelt/ und hernach ein silberner „*numus de Iano bifronte* erkläret. *Vix hæc tribus potuerunt absolvi foliis in forma minori, quam octavo barbare nominant. In secunda ubi de numo spurio Cæsaris & Dictatoris agebatur, num quæso penitus futiles & inutiles erant digressiones de Cæsaris & Dictatoris nomine & hujus dignitate, de numis spuriis de lituo, & de Pontifice M. quæ singula in numo reperiuntur, agere; aut adeo hospes es in studio numismatico? Dissertatio tertia, quatuordecim complectitur folia, unicam vero in ea si vir es, demonstra mihi digressionem inutilem. Lectores B. vos testor! Nec in quarta ulla reperitur, nisi illam vocare velles, quæ de nudo Augusti capite agit. Verum, quid fiet tunc de summis nostris Fautoribus, Schmidio & Wedelio, qui de numis pileatis & cathedraticis eruditissimas suas nobis concesserunt lucubrationes?*

tiones? &c. Nec sutor hic ultra crepidam. Aut, quæso, tune totius orbis terrarum perrepsisti libros? Studium numismaticum hodie est tale, ut de eo sententiam ferre non possit, nisi qui multos in eodem consumsit annos. Nec hic omnes sapientum digiti sunt æquales. Valeas itaque cum tuis tribus foliis, mi Domine Censor, & si pariter abs te mordebitur exile hoc meum Museum cum Epistolis, puta, nec Regia me possidere Cimelia, nec MSCta Gudiana &c, interim tamen non adeo sterilia, quin inter ea aliquid reperiatur, quod Virorum eruditorum lectione dignum, & quod tales, qui etiam pleraque Europæ lustrarunt musea, admirati fuerint, & quod insuper delectari & prodesse possit. Te vero, qui rodere longe melius didicisti, quam ego, tunc calamo meo judicabo dignum, si sensero justam tuam reprehensionem fuisse, siquidem scito mihi nunquam non fore occasionem liberandi meam existimationem. Interim si perges argutulis, aut etiam amicis tuis excitare risum, cogita, me semper in eo fore totum, ut optimis & summis Viris mea placeat opera. Dices quidem ex part. 46. Bibliothecæ tuæ p. 468. te secundum merita recensere libros, &, ut verba tua sonant,

Ob es gedruckt habe *Caspar*, *Melchior* oder *Balthasar; interim aliter te agere cum Casparo, quam cum Melch. & Balth. Lectoribus constat. Quod restat, norunt omnes, quos amant Musæ*, ῥᾷον εἶναι μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι; *Et si L. B. non veritus est aggredi Ecclesiæ nostræ orthodoxæ fulcra, virosque de re literaria dudum meritissimos Censor hic, gratissimum sane mihi est, me in tantorum virorum relatum esse consortium, utpote cui quoque placet Hector ille Nævianus, qui non tantum laudari se lætabatur, sed etiam a laudato viro.* Noscitur ex socio *&c. Tu vero, Venerande Lector, si potes, nostras Dissertationes & Censoris animadversionem lege, & sincere judica. Interim his Epistolis & reliquis utere feliciter, mecumque proxime cum DEO* Gloriam Domus Brunsvico-Luneburgicæ *dignis concelebra laudibus. Vale.*

Celeberrimorum Virorum

EPISTOLÆ

DE

RE NUMISMATICA

AD

M. Zachariam Goezium

ILLUSTR. GYMN. OSNABRUG. R.

INDEX
CELEBERRIMORUM VIRORUM
QUORUM
HIC CONTINENTUR EPISTOLÆ

GERARDUS ABBAS LUCCENSIS
Epist. I. II.

GIESBERTUS CUPERUS
Epist. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XXII.

IO. ANDREAS SCHMIDIUS
Epist. XIII.

IO. HINSEN
Epist. XIV.

IAC. PERIZONIUS
Epist. XV.

BURC. GOTTHELFF STRUVE
Epist. XVI. XVII.

IO. HENRICUS EGGELINGIUS
Epist. XVIII. XIX. XX.

IO. CHRISTOPH OLEARIUS.
Epist. XXI.

EPISTO-



EPISTOLA I.

Amplissime Clarissimeque Vir,

Domine & Fautor honorande.

PRo transmissis dissertationibus tuis, ad rem tam nummariam quam philologicam pertinentibus, gratias ago maximas. A capite ad calcem perlegi omnes cum cura, tuamque πολυμαθειαν haud perfunctorie sum admiratus. Jucundum fuit inter legendum, quæ de Instrumentalibus, quas vocant, disciplinis, es commentatus, veterum studiorum meorum, ac inprimis Grammaticæ recordari, qua ante hos duos & triginta annos in Academia Rintheliensi Theologiæ ac Mathematum Professor, tanto delectabar opere, ut disputationem haberem publicam *De Regimine verborum Active significantium*, & in nonnullas Scioppii regulas syntacticas vægrandes, in utilitatem docentium

tium, ſcriberem commentarios, novamque perpaucorum canonum excogitarem ſyntaxin, nullius patientem exceptionis. Diſputationis illius præter unicum exemplum, nullum habeo amplius, edidit tamen eandem ſecunda vice, meus tum temporis Reſpondens, Dn. *Wilhelmus Lymbergerus in medulla ſua Philologica ſupra Andriam Terentii*; Reliqua cum varii argumenti pluribus aliis, inter reculas meas jacent confecta partim, partim affecta, futura forſitan aliquando, & egregiæ noſtræ erga literas & bonas artes voluntatis & φιλοπονίας monumenta: Si animus fuiſſet etiam in hoc muſtaceo quæritare laureolam. Aſt, quamlibet Academicus per ipſos XIV. annos Profeſſor, cui hominum generi nihil magis curæ eſt cordique quam βιβλοποιΐα, ab editione tamen librorum τάδε βιώσας manum ſemper abſtinui. Lateant ergo & hæc mea blattis tineisque futura, cibus, nam & has habere oportet, quibus dentes exerceant.

De re monetaria, inſtructam, ut arbitror, poſſideo Bibliothecam, & nihilo tamen ſecius in ſcriptis tuis autores video citatos, non inviſos hactenus mihi ſolum, ſed & ignotos penitus. *Theſaurum* inter alia citas ſect. 1. diſſert. 2. §. 17. *univerſæ rei nummariæ*, ſcire velim integri illius libri titulum, uti & *Gleichii Numiſmatum hiſtoriæ ſuccinctæ*, cujus mentio fit ſect. 2. diſſ. 1. §. 5. De Antinoo meo ſtagneo recte judicas, quæ contra egregii illius nummi (pro quo, ſi vendere voluiſſem

ſem, offerebantur mihi centum Imperiales a nobiliſſimo quodam Anglo paucis ab hinc annis, ſtudiorum noſtrorum peritiſſimo) authentiam molitus eſt, ſub perſona Rutgerſii, beatus Reiskius, vir cetera non indoctus, quaſi re bene geſta cum prolixa epiſtola ad me miſit ipſe; orta hinc inter nos concertatio epiſtolica ſuper quæſtione, *An Romanorum temporibus nummi genuini extiterint, ex Panno vel plumbo cuſi*, id quod ego ſcriptionibus aliquoties iteratis, tot argumentis evici, ut victas mihi manus daret denique. Jacent & hæc inter meas quisquilias. De authentia interim Antinoi mei jam ſatis conſtat, poſtquam nuper ex Morea ſub eadem, quod mireris, forma cuſum acceperim æreum, indubitatæ fidei.

Quem Siclum exhibes argenteum Sect. 1. diſſ. 2. p. 4. una cum omnibus, quotquot extant ſiclis Ebraico charactere inſignitis, citra omne dubium ſuppoſititius eſt. Tres habeo cum inſcriptione ſamaritana, quorum duo ſuſpecti, tertius ex aſſe genuinus.

Quem ſeſtertium nominas Sect. 1. diſſert. 2. p. 4. quam vereor ne ſit denarius, quorum habeo duos cum tui ſeſtertii & figuris & inſcriptionibus. Veſpaſianos cum Judæa capta genuinos extare, incertum eſt. Thaſiorum quem producis, nummum argenteum ſect. 1. diſſ. 10. §. 40. bonus eſt, rarus non item, multo minus rariſſimus, pro ſesqui thal. etenim aut duobus thaleris emuntur. Evolve, ſi placet, Begerum, Theſauri Brandenburgici

tom.

tom. I. p. 423. & seqq. De picturis Tuis, quid sentiam, a me quæris? Respondeo breviter, me de artificio rei non visæ, judicium meum interponere non posse, &, ut maxime viderim, non rectius tamen me de illis judicaturum esse, quam cæcum de coloribus, cum in hac arte longe sim imperitissimus. Museum meum, invidenda nummorum tam veterum, quam recentiorum multorum multitudine, ex quovis metallo præsertim auro, ultra privati modum, tantum non scatet. Bibliothecæ meæ par ratio est, in qua plusquam 1600. volumina, primæ magnitudinis bonam partem Gallico more relegata, continentur, ut de fasciculis secundæ, tertiæ, minorisque magnitudinis nihil dicam, quorum & magna pars Gallicis splendet involucris. Tertius abhinc annus est, ex quo non tam conchas legere cœpi (quod de frustra laborantibus in proverbium abiit,) quam ex quo tempore conchiliorum me cœpit studium, quorum numerus se jam ultra 2000. extendit, in quibus, quæ Bonannus, Jesuita Romanus, Rumphius Batavorum in Amboina Consul, Gesnerus, Aldrovandus, alii numerant in rarissimis, multa reperias.

Sed & collectione Raritatum tam naturalium, quam artificialium, vehementer delector.

Mineralia denique, & quæ in his Germanice Drüsen vocantur, non contemnendam Musei mei partem constituunt, maximis, quod, me quamlibet indicente, per se patet, ad varias hujusmodi collectiones expensis, a duabus tamen seculi hujus,

jus, ut ſic loquar curioſitatibus, Picturis nempe & Camæis, h. e. Figuris lapidi pretioſo eleganter inſculptis, manum ſemper abſtinui, ex hac potiſſimum ratione, quod ignoti nulla ſit cupido. Nunc ad alia: Ludovicus Capellus citatur Schediaſmatis Phil. Critici Diſſ. 1. theſ. 7. de quo temperare mihi non poſſum, quin quæram

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πτόλις ἠδὲ τοκῆες.

Auctor an ſit ſacræ, h. e. execrandæ Criticæ, quam filius Johannes Cappellus poſt patris obitum Pariſiis edidit in fol. A. 1650. an quisquam alius? Utinam Ottonis ærei, quem poſſidet Ill. Aulæ veſtræ Magiſter, ſiquidem genuinus iſte fuerit, ectypum habere liceat in glutine ex piſcibus (Ichthiocolla, ni fallor, græce dicitur, inventumque eſt, ſi non centum, quinquaginta certe boum mactatione dignum, quod debemus Reverendo Patri Joberto, Societatis Jeſu presbytero) ſed quoniam cum ejus Excellentia mihi nulla notitia intercedit, humanitatis hoc officium inter optanda potius, quam ſperanda, collocavi.

Narrabo Tibi hac occaſione Vir CL^me^ quæ mihi felicitas obtigerit paucis ab hinc menſibus. Unus ex Ser^mi^ noſtri Electoris Brigadieriis aut Brigadieribus, (quid enim mea refert, ad quam declinationem pertineat barbarum hoc vocabulum?) cui nomen Starcke, ultimi belli Turcici tempeſtate in Moræa, æreum ſibi numum inter alios complures oblatum, emit vili pretio, qui deinde pro Othone

B ne

ne æreo ab eruditis haberi cœpit. Primæ propemodum formæ est, sed in terra, ubi latuit, tam male habitus, ut initio, ad quem pertineat, vix potuerit cognosci. Inscriptionis nihil magnopere restat, quam Μ--Ο-- ΚΑΙ ΣΕΒΑCΤΟΥ. In adversa parte bustum est Imperatoris capite laureato, facie sinistra. In aversa, seu opposita, aquila cernitur ramo arboris insistens expansis alis ac rostro tenens, nescio quid, cum inscriptione ΕΤΟΥC. Α. hoc est, regiminis anno primo. De sinceritate hujus nummi, qui ex dicti Domini Starckii hæreditate, θεία (sic opinor) μοίρα, obtigit mihi, per aliquot tempus dubitavi, postquam autem huic prorsus similem argenteum inveni apud Valiantium primæ magnitudinis, cum hac inscriptione.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Μ. ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ

Inque aversa ejus parte aquilam expansis alis trunco arboris insidentem, coronamque rostro tenentem, cum inscriptione, ΕΤΟΥC. Α. Faciesque insuper mei Othonis similis plane sit Othonis æreo apud Harduinum in operibus suis junctim pronuper Amstelodami editis pag. 727. de authentia ejusdem bene sperare coepi. Sed hæc hactenus.

Mentionem facis Decad. 2. diss. 3. §. 13. Uncialium Ducis Brunsvicensis Christiani, putasque a Judæis eorum suppositios identidem vendi pro genuinis. Qua in re patere me, quæso διχαφρονεῖν.

Multos

Multos habeo tales, cum gladio evaginato parte una & inſcriptione, ſi verum fateri velimus, illaudabili GOTTES FREUND, DER PFAFFEN FEIND, parte altera, ſed ſub diverſis formis nec eodem tempore cuſis. Qui ſuperſtite duce Chriſtiano ex Apoſtolorum ſtatuis argenteis in Paderbornenſi Eccleſia repertis conflati, genuini ſunt extra omnem controverſiam. Orto deinde, occaſione urbis Hötzter bello inter Duces Brunſvicenſ. & Epiſcopum Monaſterienſem Dominum Bernhardum de Galen, Ser^mus Dux Rudolphus Auguſtus Ser^mi Ducis Auguſti Wolferbytani τȣ̃ μακαρίτȣ filius primogenitus & in regimine ſucceſſor, ſub nova forma, (auf einen neuen Stempel) novos tales unciales cudi curavit, ſervatis tamen non ſolum veterum figuris ac inſcriptionibus, ſed & anno, atque hi dicuntur novi, quos Judæos vendere interdum pro veteribus, facile credo, ſuppoſitique tamen non ſunt, ſed tales, qui Romanis quondam dicebantur Reſtituti. Nova hæc Uncialium editio peſſime habuit Dominum Epiſcopum Monaſterienſem, conqueſtusque eſt, non ſibi ſolum hac ratione, ſed & toti religioni Romano-Catholicæ injuriam fieri, apud Ser^mum Principem Johannem Fridericum belli illius contra ſe ſuſcepti ſocium, Romanæque religioni addictum, facileque impetravit, ut nova hæc forma (der neue Stempel) ex Hercynia mi-

 graret

graret Hannoveram, ubi rubigine obducta nullius amplius usus est. Rari ergo & hi sunt nummi **Restituti**, Rarissimi ex veteribus, cum gladio evaginato, in cujus cuspide mitra conspicitur Jesuitarum, quorum ego in argento possideo duos, in ducatorum auro, unum.

Decadis Primæ Dissertatione tertia pag. 2. de Caji & Lucii Augusti nepotum nummis agis, qui, ut in argento vulgares sunt & communes, ita in auro rari, argenteos & du Billon multos habeo, unum aureum. Quoniam F. Noris Epitaphiorum Pisanorum Caji & Lucii Cæsarum nullam facit mentionem, conjicio, volumen id a Te nondum visum. Impressum est Venetiis 1681. in Folio.

Sed, quo dilabor, Epistolam scripturus quicquid in buccam, quicquid in calamum venit, scripsi, nullo ordine servato, quasi per saturam. Ignosce, quæso, scriptioni tam inficetæ. Deus Te, literatorum decus εἰς πολλῶν ἐτέων δέκαδας vigentem, florentem publico bono servet. Vale Vir Clarissime & salve. Scribebam Hannoveræ, XVIII. Augusti An. cIↄↄCCIX. Clarissimi Amplissimique nominis Tui observantissimus GERARDUS Abbas Luccensis mpr.

EPISTOLA II.

Amplissime, Clarissimeque Vir, Domine & Fautor honorande.

ET literas tuas, longe mihi gratissimas, & Excerptorum specimen secundum recte accepi:

cepi: Scriptoribus de Mohammede & Corano a Te recensitis, addo ex Bibliotheca mea:

Johannis Henrici Hottingeri Historiam orientalem, impressam Tiguri anno 1651. in quarto; Agitur in illa ex professo de Muhamedismo, Muhamede, ejusque majoribus, Parentibus, Patria, nativitate, educatione, pseudo prophetia, Æmulis, dogmatibus, Hegira, præliis successoribus, morte: De variis inter Muhamedanos circa religionem sententiis, schismatibus & hæresibus. Item occasione Genealogiæ Muhamedis plenior illustratio libri, THARICH BENE ADAM &c.

Adjungo Historiam Sarraconicam Georgii Elcmarini, filii Abuljasari Elamedi filii Abulmacareni, filii Abulzibi ex Arabico latine redditam a Thoma Erpenio editam Lugdun. Bat. ex typographia Erpeniana 1625. Alcoranos MSStos quinque possideo, quorum unus in folio, unus in duodecimo, reliqui in octavo, & inter hos duo elegantissimi, cum versiculorum distinctionibus aureis; ex Impressis nullum, nisi B. Abrahami Hinckelmanni Th. Dris & Pastoris, cum ederetur, Hamburgensis.

Habeo & Andreæ Acoluthi τέτραπλα Alcoranica, sive specimen Alcorani quadrilingvis, Arabici, Persici, Turcici, Latini, Edit. Berlin. 1701. in fol. Frequens cum viro hoc, dum viveret, doctissimo, fuit mihi literarum commercium, dolendumque, quod afflicta semper valetudine, laboribus insuper concionatoriis, malisque do-

mesticis obrutus, Coranum, quod in animo habebat, cum versione latina interlineari, ad finem perducere publicique juris facere, non potuerit. Inter mala autem domestica, de quibus in suis ad me literis prolixe non semel conquestus est, primo loco numerabat *Malam suam mulierem.* (*) Idem in animo habuisse B. Hottingerum, affirmare possum testis oculatus, utpote cui anno 1660. ex Gallia in Germaniam reduci & Heidelbergam transeunti monstravit Vir humanissimus egregium aliquod Corani MSStum lineis eousque distantibus, ut quam commodissime interlinearis versio unicuique lineæ subscribi queat, id quod ab ipso jam tum factum sexta circiter Corani parte. Nunc ad alia. De auro chymico gratulor tibi, comparet etiam in meo gazophylacio talis auri lamina ponderis trium circiter ducatorum, quam ante hos triginta & amplius annos ab hæredibus emi B. Timpleri Medicinæ in Academia Rinthelensi Professoris. Sane si metalla inter se non aliter differant, quam ut purum aliquid ab impuriore, tunc dubium non est, quin ex quovis metallo auri particula possit extrahi. At enim hæc non est metallorum, quam chymici jactitant, Transmutatio, sed nuda unius ab altero discretio sive separatio. An autem talis separatio taliter institui possit, ut fructus impensos exuperet, id neminem credo hactenus invenisse, nec inventurum. Quicquid enim de tabula Smaragdina ejusdemque inscriptione, de Salomone

lomone Rege, Mirjam, sorore Mosis, Rabbi Mose Maimonide, Theophrasto Paracelso multisque aliis Philosophici lapidis possessoribus, narratur, ad nugas æque pertinet ac Fraternitas Roseæ crucis, quæ in terris nunquam extitit, dicis duntaxat gratia, inventa a Joachimo Jungio, Hamburgensis Gymnasii Rectore, viro incomparabili, id quod Tu, ni fallor in aliqua decade nummaria, etiam monuisti. (**) Scito interim in Bibliotheca mea extare ultra ducentos scriptores & in his non paucos ad jocularem illam Fraternitatem pertinentes. Sed quo dilabor, ad hanc prolixitatem dulcedine de varia eruditione conferendi tecum, incitatus. Vale igitur, Vir Clarissime atque ex animo salve T. Officiosissimo GERARDO Abbate Luccensi. Scribebam Hann. 23. April. 1710.

(*) *Vid. Gotfried Bœtner in dissert. Historico morali de malis Eruditorum Uxoribus Lips. 1705. Vir quidam Westphalus, & generis splendore & officii amplitudine & eruditionis excellentia unus omnium maxime florens, ante paucos annos, ad me ita: Vir Clarissime &c. Quod me perhumaniter & peramanter invisere dignatus fueris, de eo maximas habeo & refero gratias. Ubi occasio sese dederit, officio meo non deero, & Te rursus, Vir Clarissime & Desideratissime invisam & Gazophylacium tuum perlustrabo, ac Te amanter complectar. Quod vero Xantippe mea Te usque adeo officioso, benigno & per-*

 amando

mande oculo non aspexerit, noli ægre ferre, neque mirari, nec mihi imputare. Nosti mulicrcularum ingenia, quæ quos non norunt, despe-ctui habent, vel merito suo nec volunt, nec possunt æstimare. Tibi Vir Clarissime, sufficere debet, quod in scrinio pectoris mei, ut cum Pontifice loquar optimo & eminenti loco descriptus, & in Album optimorum meorum Amicorum relatus fueris. Tu quoque invicem, ut facis, ama & vale ac fave Tuarum Virtutum Cultori & Amatori.

(**) *Præter ea, quæ supra in Dissert. XI. de fratribus roseæ crucis dicta fuerunt, nota, Arnoldum loco sæpe citato part. 2. l. 17. c. 18. §. 3. de Joh. Valent. Andreæ*, Dieses ist der Vornehmste Erfinder / und letzte Abdancker der *Fraternitæt* der Rosen-Creutzer. *Est mihi Epistola a filio hujus Joh. Valentini Gottlieb Andreæ, A. 1654. 4. Julii propria manu scripta sequentem in modum: „Salutem a Jesu. Venerande ac „Amantissime Domine in Christo Frater tenere „amplectende &c. De beatissimo Optimi Geni-„toris mei obitu certior jam proh dolor! factus „es, cujus integerrimam animam inter preces „& Suspiria nostra manus supremi Patris no-„stri J. C. recepit 27. Junji horam circa 7. ves-„pertinam, exuvias vero d. 30. demum spectan-„do conductu tumulavimus. Justa parentati-„one pium officium præstitit Zellerus Præco Au-„licus primarius ex Psalmo 75.* In te, Domine, speravi,

ſperavi, non confundar in æternum. *Dolor at-* "
que luctus meos in jactura tanti cimelii, cujus "
conſilio, incomparabili rerum ſcientia, ſolida- "
que informatione, candida integritate, Theo- "
logica experientia, & ineffabili dexteritate ac "
ϛοϱγῆ *adjuvari potuiſſem facile quibis emen-* "
tiri. Si enim Te, Optime mi, recte novi, me- "
um ſerio mecum luges luctum. Nunquam a no- "
ſtro labatur pectore vultus tam chari Paren- "
tis, in quo poſſedimus priſci ſeminis Patrem, "
Tertulliani Laconiſmum, Chryſoſtomi flumen, "
Ambroſii eloquentiam, Auguſtini ardorem & "
affectum Hieronymi pietatem, Bernhardi de- "
votionem, Tauleri Theologiam, Kempiſii imita- "
tionem, Lutheri fidem, Viti Theodorici indu- "
ſtriam, Matheſii eruditionem, piam Hieron. Wel- "
leri brevitatem & experimenta, Arndii Zelum "
ac intentionem, Mayfarti teneram conſcien- "
tiam, Sauberti Spiritum ac niſus, Jacobi An- "
dreæ germanum pectus, indefeſſam operam ac "
concordiæ amorem omnes una faſce virtutes, "
artificia & rerum cognitiones in uno ergaſtulo "
diu langvido. Sed ah! habuimus. Reſtituet "
nobis hoc depoſitum clara illa & noviſſima dies "
quam ardenter expectemus, noſque præpare- "
mus interea ad horam fatalem. Tu Chriſtianum "
age, meque amare ne deſine. Integr. Tuæ Cultor "
Gottlieb Andreæ.

De fratribus ipſis Roſeæ crucis vide integrum Ar-
noldi cit. cap. 18. & Andreæ Menippum, Colbergi

Hermetisches Platonisches Christenth. *p. 1. c. 6. Morhof. in Polyhist. l. 1. c. 1. part. 1. p. m. 140. Judicia clarissimorum aliquot ac doctissimorum virorum &c. de statu & Religione Fraternitatis celebratissimæ de Rosea cruce Frf. 1616. 18. Bosium in dissert. tertia de statu Europæ §. 29. p. m. 323.* Monatl. Unterred. *Tenzel. A. 1690. mense Dec. p. n. 1123. & seqq.* Chymische Hochzeit Christiani Rosencreutz / Straßburg 1616. *Christophori Mund.* Betrug der neu entstandenen Brüderschafft derer vom Rosen-Creutz 1618. *Ejusd.* Rosen-Creutzer Bruder-spiegel 1619. *qui tractatus præcipue oppositi sunt* der allgemeinen und *General-Reformation* der gantzen weiten Welt / wie auch der *Famæ Fraternitatis*, gedruckt zu Cassel durch Wilhelm Wessell 1614. *De quorundam Rosæcruciorum longævitate &c. Pfeifferi Pfeifferus. c. 2. §. 25. p. m. 62. & seqq. agit. His jungatur Libavius* im Bedencken von der Brüderschafft derer Rosencreutzer; *Neuhusius in Admonitione de fratribus R. C. Nicolaus Hunnius* in der Christl. Betrachtung von der *Paracel*sischen und Weigelianischen *Theologie, Phil. a Gabella, in Consideratione secretioris Philosophiæ cum Confessione fratrum Roseæcrucis. Joh. Christoph. Rumetschius, Turcarum conversione vel eversione sect. 2. §. 7. p. m. 34. & p. 37. Max. Rev. Buddeus in Hist. Theol. Crit. MSct. de hac fraternitate ita:* Dieses istalles *hæresis ima-*

imaginaria, und eine bloße Comödia gewesen / die *Joh. Valentin. Andreæ* gespielet; Einige stimmeten solcher bey und verriethen ihre Thorheit / weil sie meinten / es wäre eine solche Brüderschafft; Andere *prostituirten* sich / dieweil sie diejenige / so doch nicht in der Welt waren / verdammeten. Endlich hat *Joh. Val. Andreæ* zuverstehen gegeben / daß Er der *Autor* sey / indem Er Anno 1619. den Babylonischen Thurm ausgehen lassen / *Vel quod idem, Judicium de fraternitate Roseæ crucis. Hinc evanuit disputationum chaos.*

EPISTOLA III.

Clarissimo doctissimoque Viro, Zachariæ Gœzio, S. D.

GISB. CUPERUS.

AUgustus Houckius, Antecessor celeberrimus recte curavit epistulam tuam & dissertationes, quibus veteres nummos illustras, & alia ingenii atque diligentiæ tuæ diffusæ insuper lectionis splendida specimina das nobis. Me omne hoc, quicquid est, haud perfunctorie legisse, patebit ex iis, quæ mox tecum communicabo, quod antequam aggrediar, recte me facturum existimavi, si tibi eo nomine gratias agerem. Facio id equidem libens lubens, & fateor me multum tibi debere, quod me tam officiose salutes, quod tam prolixa de qualicunque eruditione mea sentias, & quod mihi donum mittere volueris monumenta

numenta ingenii tui. Placent mihi valde conatus illi tui, qui profecto ostendunt, multæ te & indefessæ lectionis esse, & a quibus lectis abii doctior coguovique varios libellos, quos editos esse, ignorabam, & qui procul dubio mei gustus erunt, uti sunt Thesaurus Georgii König, Schediasma Schmidii de nummis cathedratis, & ejusdem epistula de nummo philippeo, nec non alia Ottonis Sperlingii, amici mei summi de origine Vet. Gallorum a Dite, quam miror virum egregium ad me non misisse, maxime cum a pluribus annis frequens sit literarum nobis commercium; quibus addo dissertationes V. Ernesti Löscheri de usu nummorum veterum in Theologia, quos omnes libellos conabor ut nanciscar, quia fieri non potest, quin sint pulchri & habeant Veneres tuas, cum a te laudato admodum viro laudentur. Agis autem Dissert. 3. Dec. 1. de *corona Civica* & Diss. 6. de *capite asini, quod a Christianis cultum fuisse, fabulantur impii gentiles*; Patere, ut mittam, me civicam conatum fuisse illustrare in dissertatione, quæ una cum Homeri *Apotheosi edita* est, & quoad secundum Roma ad me missum esse *numum blasphemum*, in quo hinc cernitur caput *Alex. Magni, legiturque Alexandri.* Inde vero pullus asininus *asinam lactans*, & horresco referens D. N. IHUXPS DEI FILIUS, supra asinam scorpio, & inde conjectabam, blasphemiam hanc publicatam esse a gentilibus, simulque nummum istum fuisse amuletum,

cum, quia in eo uisitur scorpio & Alexander, cujus effigies depellere mala, credebatur; egi hac re multis in epistula ad Ill. Fontaninum, Eloquentiæ Romæ Professorem, a quo grande illud scelus acceperam.

Memoras eadem Dissert. Inscript. Hispanam; Egi etiam de ea in epistula ad Celeb. Gürtlerum, ostendique eam suppostitiam esse, & egi simul de persecutione Neronis satis prolixe; certe, cum extremo Imperio tyrannus ille in gentem innoxiam sævierit primum, non videtur ejus rei nuntius ipso vivente eo delatus esse, deinde agitur in monumento eo de Christianis, qui in provincia Hispania erant, ubi, an multi Christiani eo tempore fuerint, incertum valde, uti etiam, id, quod tam eruditi valde viri statuunt, an B. Paulus eo penetraverit, & quæ de Jacobo narrantur, fabulis propiora sunt.

Nummus I. Dissert. I. Decadis 2. mihi vix videtur Gothicus esse, sed unus idemque cum secundo, nisi quod Titii nomen sit ex punctis compositum, quales binos nummos Græcos, eosque elegantissimos, possideo, in quorum uno Rex Philippus, ex posteris Alexandri M. cum variis titulis itidem ita scriptis exhibetur. Variis Diis datas fuisse alas recte mones eadem Dissertatione, & ipse id multis doceo in Additamentis ad eandem Homeri Apotheosin & pluribus aliis illustribus exemplis id docebo, si quando nova editio prodierit, attigique eandem materiam in Harpocrate

te meo. Num inter rudera Persepoleos exstet *Pegasus*, dubito, quia illa, quæ descripsit & pinxit Brunius, nobis eum non præsentent, sed sphinges. Nosti, Vir egregie, multos meminisse horum monumentorum, sed nemo tam pulchre ea exhibebit, quam peregrinator ille diligentissimus, in novo, quod typis scribitur, Itinerario, cui VII. annos impendit, & in quod præclara nobis multa exhibentur & inprimis Inscriptiones Persepolitanæ, quæ simplicissimis & cuneatis literis constant, & non, nisi numero vel diversa positione & collocatione videntur distingvi.

Et quia de *alis* agis, rem me tibi non ingratam facturum spero, si mittam nummum mihi esse æreum minoris formæ, in cujus una area exhibetur nobis caput muliebre turritum, in altera vir nudus, sed tenens sceptrum, sinistra pudenda vel velat, vel contrectat, binæ alæ ab humeris vel tergo, aliæ binæ a natibus expansæ & binæ a natibus vel medio corpore ad pedes descendunt, ita, ut sit monstrum sex alarum, additurque Inscriptio ab uno latere corporis ZA ab altero IC unde credo faciendum esse ZAIC, quo tamen num designetur Ægypti urbs ΣΑΙΣ, an vero aliud quid, non ita liquidum est; ego talia figmenta Gnosticis & Basilidianis adscribere soleo, quorum in gemmis & amuletis ejuscemodi ludibria sculpta sunt.

Bini, quos te possidere scribis, nummi, adverterunt valde animum meum, unus, Caput redimitum, M. PORT. CATO in aversa area caput

nudum,

nudum, OVIDIUS NASO: Alter vero, in quo legitur APLAU--US--AE inde inconditæ & nudæ figuræ, & præter sex literas detritas conspicitur JUDÆIS. Quod si primus ille genuinus est, certe rarissimus habendus, & te etiam atque etiam rogo, ut rem hanc diligenter velis examinare, mihi certe, ne quid dissimulem, nothus videtur, cum quia in aliis scribetur Porc. non Port. tum quia nihil Catoni fuerit cum Ovidio, cujus etiam vel caput, vel nomen inscriptum fuisse & inditum nummis, nullo modo est verisimile. Secundus procul dubio pertinet ad gentem Plautiam, nec fore dubito, quin idem sit cum eo, quem publicarunt Ursinus & Vaillantius in Famil. Rom. Hinc cernitur caput turritum muliebre, legiturque A. PLAUTIUS, AED. CUR. S. C. inde vir in genua procumbens ducens camelum, & ramum laureæ protendens cum Inscr. Bacchius Judæus, quem Arabiæ, cujus insigne quasi *camelus*, & Regulum fuisse, eruditi censent. Recte Dissert. 8. Dec. 2. Spei lilium tribuis, id quod certe per complures eleganter nummos firmatur, exstatque Tristani, celebris illius Antiquarii, Tractatus Gallicus de Fleurs de Lis in quo materia hæc mirifice illustratur. In Schediasmate Philologico-Critico facis etiam mentionem librorum, quos *Romans* appellamus, & nosti, de iis præclaram dissertationem scripsisse Huetium, cui titulus, Origine des Romans (*) sed hoc non est, quod te volo, quin imo significo, me id agere

agere per amicos, quos Romæ habeo ampliſſimæ & reverendiſſimæ dignitatis, ut Xenophontis Epheſiaca typis deſcribantur, quæ in Bibliotheca quadam Florentiæ ſervari, certior factus ſum; ſpero me tam felicem fore, ut illa impetrem. Atque hinc absque dubio perſpicis, me legiſſe alacriter & diligenter Diſſertationes tuas, & ſpero te æqui bonique facturum, quod nonnulla iis addiderim & monuerim, neque ſane id feciſſem, niſi Houckius mihi ſignificaſſet, te virum eſſe humanitatis ſingularis, & ſummopere amare antiqui ævi relliquias, id quod utique etiam intelligo ex lucubrationibus tuis.

Oblitus autem fui mittere, Inſcriptiones, quas Hiſpania nobis ſuppeditat, caute admittendas eſſe, cum plurimæ ſint ſuppoſititiæ, & obtruſæ erudito orbi, cum humaniores literæ illo in regno florerent, quæ inde nunc relegatæ, & ubi nonniſi ſcholaſticis & metaphyſicis placitis ſeſe ſtudioſi exercent, idque artibus corporis vel collegii cujusdam, quod ibi non ſolum, ſed alibi etiam τὰ πάντα eſt, qua de re ſi plura cognoſcere deſideras, legas, quæſo, La Croſii Ser^mi Boruſſorum Regis Biliothecarii diſſertationem, quæ mihi dedicata eſt, & qua Harduini paradoxotatas opiniones examinat, & ſolide dejicit ac peſſum dat.

Cæterum egi tecum de nummo, in quo vir ſex alarum conſpicitur, & ſimul ſignificare poſſum, talem nec in Italia, nec in Galliis, nec alibi reperiri;

periri; & adjicio illi alium argenteum valentem medium imperialem, qui percussus est in parte secunda Macedoniæ, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑΣ: æreum præterea, in quo hinc caput Jovis & ΙΟΥΔΑΙΑ, inde triremis, illique insidens Neptunus, & ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ, qui primus omnium est, in quo legitur nomen provinciæ, quæ cæteroquin non nisi in iis, qui sub Impp. percussi sunt leguntur, exceptis forte paucissimis. Est mihi præterea alius æreus, mediæ magnitudinis, in quo Tiberius, nondum Augustus, vivo Augusto, patre ipsius adoptivo, appellatur Imp. Unic. sive Unicus; & tandem ne omnes recenseam, & ita tibi fastidium creem, unus, in quo repræsentatur nobis Theophano Augusta uxor Romani, quæ nec apud Dn. Cangium, nec in ullo cimeliarcho reperitur. Ectypum ejus misi ad Bandurium Benedictinæ familiæ eruditissimum virum, qui nobis propediem dabit Antiquitates Constantinopolitanas aliquot nummorum millibus auctiores, & de aliis rebus differentes, quam fecit Dn. Cangius, qui cæteroquin tam bene de Byzantio & Constantinopoli meritus est; sed ego te diu nimis detineo, perspicies hinc tamen, quantopere te æstimem, & quid non præstare possim, si Respl. me non totum fere occuparet. Rem mihi pergratam facies, si inquirere velis, an similes nummi exstent in Cimelio Swartzburgensi, quod refertum esse rarissimis numismatibus, diu doctus fui. Vale plurimum. Daventr. XVI. Maji 1710.

(*) *A. 1697.*

(*) *A. 1697. in Schediasmate Philologico-Critico thes. 5. de his ita ego: Faciunt huc porro fabulæ, quas vocant Romaines, de quibus legendus est Huetius aliquoties jam recusus in tr. de origine fabularum Romanensium, & evolvenda est Consideratio fabularum, Romanensium, facta per Dominam S. E. P. Ratisbonæ 1684. in 12. Est autem illa Joh. Lud. Praschii Senatoris Ratisb. uxor. Græculum esse inventum ait Ludolphus in Comment. in Hist. Æth. ad N. 2. §. 5. p. m. 24. Itali vocant Romanzi, Galli Romans. Cleausus Græce tales scripsit fabulas, quod & Photius de Diogene talis fabulæ autore scribit, scilicet ex eo, tanquam fonte manasse Luciani, Jamblichi & similium Autorum commenta. His dein addidimus, quæ sequuntur, nimirum ex Bosii Introd. in notit. Rerumpl. c. 5. §. 5. p. m. 64.* Particularibus historiis suo quodam modo accenseri possunt, qui veram gentis aut imperii historiam sub fictis nominibus & circumstantiis tradiderunt, quo pertinent Argenis Joh. Barclaji, qui sub specie fabulæ amatoriæ res Gallicas & statum Galliæ, qualis suo tempore fuit, artificiose depinxit, & quæ ad Argenidis exemplum comparari solet, Francisci Blondi Eromena, itemque incerti autoris Dianea & Caroli Growicii Germanicum opus, quod **Die Geschichts-Säulen** inscripsit &c. *Vidi ego aliquando Barclaji codicem, quem filio suo donaverat B. J. Balth. Schuppius & in eo hæc offendi:*

Eruditio

Eruditio est singulare hominis decus, Eruditi singulare ornamentum est eloquentia. Zierlichkeit im Reden ist der Korb / darinnen man alle Wissenschafft zum Marcke träget / so man Geld dafür haben will. Fili Anton Meno, mitto tibi hunc Barclajum,

Romam Romano qui docet ore loqui.

Librum hunc in juventute mea decies legi & relegi. Si sapis, imo ut sapis, & libri hujus elegantiam percipies. Fac, quod me fecisse audis,

Lectio lecta placit, decies repetita placebit
Joh. Balthasar Schuppius mpr.

Grotius in Dissert. de cœnæ administratione, ubi pastores non sunt, B. (*b*) Similia reperiuntur in antiquioribus fabulis, quas Romanas vocant, quod genus scribendi eruditis antiquariis non spernenda præbet morum & opinionum veterum vestigia. *Fabularum talium cum nimis rigidus esset censor Gotthard Heidegger in peculiari scripto, dignis excipiebatur modis ab autore* der neuen Unterredungen *1702. p. m. 256. Infeliciter inventum hoc imitatus fuit Gorræus Gallus, qui Amadisium juventutis pestem composuit; Cum etiam in Hispania nimium talium fabularum numerus excresceret, Michael Cervantæus Hispanus summi ingenii, in peculiari opere, qui Dn. Quixoti historiam nuncupat, animos civium suorum a nimia fabularum lectione abstra-*

bere studuit. Quemadmodum Ioachimus Bucholz, ut e manibus legentium Amadisii libros removeret, Herculem & Herculiscum, præcipue etiam in gratiam trium filiorum Principum Smi. Augusti, Germanorum vero Augusti D. B. & Lun. conscripsit. Amadisius ipse prodiit Gallice A. 1615. sub tit. Le vingt & quatrieme livre d' Amadise. Conf. Griphiander in tr. de weichbild c. 16. n. 8. & seqq. Plura de fabulis talibus dabunt etiam Vincentius Gravina de Ratione Poëtica l. 2. c. 7. p. 150. & seq. & Mythoscopia Romantica &c. Inter Germanos multi iis suam operam consecrarunt, quibus vero merito præfertur omnibus Generosissimus Caspar von Lohenstein *in Armino & Thusnelda, quæ volumina ut in gratiam divi Leopoldi, & filiorum Augustissimorum Josephi & Caroli sunt composita, ita omnis antiquitatis & historiæ thesaurum complectuntur operosissimum, & luculentissimum, ad quæ proxime accedit SRMA Octavia.*

EPISTOLA IV.

Clarissimo Celeberrimoque Viro Zach. Gœzio
S. D.
GISB. CUPERUS.

CElcberrimus Houckius ad me curavit literas, quas ad me dedisti prid. Kal. Augusti proximi, benevolentiæ & observantiæ erga me, nec non doctrinæ plenas. Legi easdem alacriter, & lætor tibi probari ea maximam partem, quæ miseram

feram olim, atque adeo te non improbare minutulas meas ceras & quæstiones positas. Spero te compotem fore secundæ quartæ & quintæ Decadis, & ita mihi integram fore lucubrationem tuam; & ecce tibi ἀντίδωρον Homeri Apotheosin; Harpocratis mihi nulla supersunt exemplaria, nec apud bibliopolas hic reperitur.

Nihil profecto Alexandro Magno commune fuit cum Salvatoris nostri sanctissimo nomine, neque etiam Alexandro Severo, nisi quod ille Christianis faverit, sed *exuviæ leoninæ* loquuntur Alexandrum Magnum, qui ad instar dei etiam cultus fuit & semper magni habitus. Figura nummi aurei, de quo agis dissert. 1. Decad. 2. rudis profecto est & inconcinna, sed tamen mihi nullum dubium, quin pertineat ad gentem Titiam, sive ille ab imperito artifice factus, sive postea ad genuinum effictus sit, nec puto Te dubitare eundem Gentis illius esse. Recte mecum judicas nummum, in quo homo sex alarum conspicitur, ad Gnosticos aut Basilidianos referri debere & Esaiæ caput allegavi, in alia ad virum quendam eruditum epistula, sed ego non tam *odium* animadverto, quam *imitationem*, quomodo certe hæretici illi multa ex sacris lucidis fontibus in paludes suas derivabant.

Quæ de Inscriptione Hispanica & culto ibi *S. Viario* ex Mabillonio notas, profecto vera sunt, & docti Hispani, eandem diu ante in scriptis suis narrarunt historiam. Nihil enim cer-

tius, quam in Romana Ecclesia multos ut *Sanctos* coli, qui vel nunquam nati, vel nulla sanctitate illustres, imo pagani fuerunt. Jacobus Launojus celebris Parisiensis Sorbonicæ scholæ Doctor, multos accusavit & de fastigio dejecit, unde quidam ipsi quodam mane obvius, rogabat, Mr. Launoi, combien des Saints avez vous denicher de cette nuit; & Joannes Mabillonius, ereptus nobis magno Reipl. literariæ damno, ante aliquot annos examinavit Sanctos incognitos, & multos ordine illo movit docte & eleganter, quo indigno facto, ut Romanensibus videtur, commotus alius, non tam vicem illorum doluit, quam eripuit ordini Benedictinorum alios, qui apud eos erant in magna veneratione, qui libelli rari admodum sunt, & lectu non injucundi, etiam illis ipsis, qui eam viam sequuntur, si modo de meliore luto.

Penus mea nummaria brevis est, videres tamen varia numismata, & multas alias res eruditas, quæ forte frustra alibi quæras, si mihi tam beato & felici esse contingeret, ut Te hic salutare possem, vel mihi per urbem tuam foret transeundum.

Recte conquereris, studium illud ad occasum vergere, pauci profecto non modo illi, verum etiam aliis incumbunt, vel amant artis severæ effectus. Quid agas? querela hæc fuit perpetua; & nescio tamen, an nostrum sæculum aliis fasces submittere debeat. Nam Reges & Principes Illustresque viri sibi placent in conquirendis hisce Græciæ & Romæ relliquiis & Gazophylacium

Am-

Arnſtadinum eximium & præclarum hujus theſeos argumentum. Quid? quod ipſe ille Comes Swarzburgicus non modo amet tales delicias, verum etiam earundem valde eſt intelligens, ut nuper me docuit vir quidam eruditus & curioſus, cui honor obtigerat Illuſtriſſimum Comitem ſalutandi & cum eo de hiſce κειμηλίοις colloquendi.

Doleo vehementer labores Morelli nobis quaſi periiſſe, ſed tamen ſpes mihi facta, nummos ſaltem ab ipſo exſcriptos & pictos editum iri & in eam rem incumbere bibliopolam Lipſienſem primarium. Qui, quod in Gallia inveniuntur etiam multi, qui huic ſtudiorum generi ſe devoverunt, & a quibus accipio frequenter literas; hac occaſione mihi memorandus omnino eſt Gallandus, Arabicæ lingvæ Profeſſor Regius & ſimul ſollertiſſimus & certiſſimus omnium fere nummorum interpres, cum quo mihi perpetuum literarum commercium, & a cujus epiſtulis nunquam niſi doctior, ſi qua in me doctrina eſt, abeo.

Cognoſco Schlegelium & Olearium ex diſſertationibus, quas ediderunt, & foret optandum, ut intenderent omnes nervos, ad publicanda poſthuma Morelli, vel ad elucidandos proprio Marte, valent enim ingenio tot extraordinarios nummos, quos ſervat Gazophylacium Arnſtadienſe.

Atque ita quidem ſequutus epiſtulam tuam, confabulatus ſum, &, niſi eſſem occupatus, de variis aliis rebus, quæ ad ſtudia noſtra pertinent,

agere possem. Mitto tamen binorum nummorum ectypos, quorum unum Berolino accepi, in quo nempe equiso tenet equum, & nonnulli eruditi putant, repræsentari historiam Darii, qui hinnitu equi Rex factus est, alii Mauritanis veteribus tribuunt, alii recentiorem & Arabem putant. Alter mummus meus est æreus, & ille eruditos dividit; Literæ Phœniciæ sunt, sed alii in eo inveniunt *Tyrum*, alii *Sidonem*. Ego sum auditor humanissimus, cum orientalium lingvarum plane sim imperitus. Neque enim hoc fateri pudet, quanquam doleam vehementer, me iis operam non dedisse in prima & florenti ætate, quia video multa inde non injucunde posse derivari ad illustrandas Græcas antiquitates, quamvis nunquam persvaderi potero, omnem fictitiorum deorum & heroum historiam inde petendam esse, id quod olim & nunc varii eruditi fecerunt, & facere occipiunt. Sed quid ago? nimis profecto te detineo, & Musas iratas fore vereor, quod illarum casto sacerdoti tantum temporis confabulatione mea eripiam.

Neque enim dubito, quin cum iis rationem semper præclare sis deducturus, & quin aliis Decadibus sis admoturus manus eruditas, & volupe mihi erit, certiorem fieri, de tuis conatibus.

Ego sum valde occupatus, & tamen ostendere conatus sum idoneo satis volumine, Therapeutas Philonis nullo modo fuisse Christianos, D. Marci discipulos, quam opinionem defende-

re

re conatus est amicus meus, Montfauconius, Benedictinæ familiæ ingens decus, ego nullus dubito de victoria, cum tam firmis argumentis retuderim, omnem illam, ut sic loquar, hæresin, ut mihi audeam persvadere, nullam dubitationem superstitem esse: sed contrahenda sunt vela. Vale quapropter & rem feliciter gere. Dav. 28. Sept. 1710.

EPISTOLA V.

Clarissimo doctissimoque Viro Zachariæ Gœze
S. D.
GISB. CUPERUS.

CLarissimus Houckius recte ad me curavit epistulam, quam ad me dedisti Januario proximo, & lætor tibi redditam fuisse Homeri Apotheosin, eamque tibi placere, non secus ac nummos, quorum ad te misi ectypos, de quibus, si quid tecum communicet Abbas Schmidius, vir eleganti & profunda tam sacra quam profana eruditione, rogo, ut illud ad me transmittere velis.

Dissertationem de nummo, cui inscribitur Asia recepta, legi, ego talem pulcherrimum possideo etiam, explicavitque eundem Albertus Rubenius Dissertatione peculiari, edita cum ejus libro de *De Lato Clavo*, putatque Vir egregie hoc in studiorum genere versatus, non *aræ* sed *cistæ mysticæ* insistere victoriam, eamque explicandam ex variis mysteriis deorum, Cereris, puta, Bacchi & magnæ Matris, & præcipue Jovis Sabazii,

in quibus ſcil. ſerpentes adhibebantur. Refert autem eundem nummum ad Cretenſes, quorum in nummis apud Goltz ſerpentes bini impliciti conſpiciuntur, non ſecus ac in Antonii Triumviri, quos itidem ad eandem inſulam refert, quanquam nihil cauſæ videam cur etiam ad Aſiam proprie dictam, vel Proconſularem non queant referri; id quod te mecum crediturum, habeo perſvaſum, ubi legeris præſtantiſſimi Begeri diſſertationem de Nummis Cretenſium ſerpentiferis.

Cum autem in modo laudatis veteris ævi monumentis *ciſta myſtica* puta ſit; patere, ut moneam, inde nummos argenteos in Aſia ſignatos, appellatos eſſe *Ciſtophoros*, uti doceo lib. 4. obſerv. c. 16. qua de re, ſi temporis mihi abunde eſſet, pluribus iisque haud, præfiſcine dixerim, protritis, agere poſſem, tam arguendo virorum doctorum admodum errores, quam emendando autores veteres.

Ut autem videas, me non prolatitie legiſſe diſſertationem illam, patere, ut agam de rebus nonnullis, quas te equidem cum voluptate percepturum, nihil fere eſt, quod dubitem. Et quidem p. 4. §. 24. recenſes nummum argenteum, in quo caput Trajani eſt cinctum *diademate*, ago multis hac de materia in notis ad Lactantium, ſed poſtea talem nummum deprehendi editum eſſe a Sambuco, imo, niſi me plane fallo, in Ephemeridibus Trivultianis recenſeri etiam ſimilem; ſed cum hoc a moribus Romano-

rum

rum illius temporis alienum ſit plane, & nihil judicare vel ſtatuere de nummis talibus non inſpectis, poſſim, ego te etiam atque etiam rogo, ut diligenter tuum illum velis examinare, an genuinus ſit, & mihi mittere ectypum ad fidem pictum.

P. 6. *laudas Petrum de Maridat in tractatu de pileo*, id quod & alios eruditos facere video; ſed omnes humani aliquid patiuntur, neque enim Petrus de Maridat ejus autor, ſed Anſelmus Solerius, qui bellum iſtum & lepidum libellum dedicavit illi Regis Chriſtianiſſimi Senatori, cujus propterea etiam effigies in fronte conſpicitur.

Agis p. 8. de ſceptro Conſulari, notasque poſt Reges exactos illud retinuiſſe Conſules, non tanquam ornamentum triumphale, ſed tanquam Inſigne Conſularis poteſtatis, teque ejus moris teſtem habere Symmachum, qui inter ſui temporis Conſulum inſignia refert eburneam aquilam. Atque ita videris ſtatuere, hoc obtinuiſſe libera Rep. & ſub Cæſaribus uſque ad tempora Symmachi, id quod utique mihi non videtur.

Fateor, Dionyſ. Halicar. lib. 4. tradere, Reges Romanos inter alia inſignia habuiſſe σκῆπτρον ἀετόν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, & mox eundem narrare, omnia Regum ornamenta manſiſſe Conſularibus excepta corona togaque picta: Sed tamen non puto illud obtinuiſſe, cum quia pauci veterum *ſceptri* meminerunt Conſulum, tum quia Brutus apud eundem Dionyſium, deliberans de conſti-

constituenda Repl. judicat, *tollenda esse sceptra & coronas aureas & purpureas, auro intertextas trabeas, nisi statis festis, & in triumphalibus pompis*, & certe Juvenalis uti nosti, *volucrem sceptro quæ surgit eburno*, triumphantibus tribuit, & plerique autores vetusti, nil nisi secures & fasces, sellam curulem & togam prætextam Consulibus tribuunt. Val. tamen Maximus *scipionem eburneum* nobis narrat 4. 4. 5. Liv. 4. 41. M. Papirii tempore Romæ, a Gallis captæ, eundem tribuit, & Lipsius in libello de Magistratibus, Faber ad tit. de origine juris, Rupertus ad eundem *Consules* advocant. Sed Val. Maximus de triumphali Atilio aliisque agit & recte dicit, *Nec fuit iis rubori eburneo Scipione deposito agrestem stivam aratri repetere*. Et crediderim M. Papirium manibus tenuisse sceptrum triumphale, sive is ipse, sive aliquis majorum eum honorem adeptus fuerit; & notandum imprimis, eo anno nullos fuisse Consules, sed Tribunos Consulari potestate, inter quos Marcus Papirius nequaquam fuit. Posterioribus temporibus Consulibus datum fuisse sceptrum, cui insistebat aquila, certum est, tam ex nummis, quam autoribus eorum temporum, quod tamen, quando ceperit, manet in obscuro, nec mihi antiquior ejus mentio, quam in epistula Valeriani ad Aurel. apud Vopiscum c. 13. vitæ Aureliani, ubi Casaubonus notat, *Consulum ab ipsa institutione prima gestamen fuisse scipionem eburneum, ejusque meminisse Livium, Val. Maximum*

ximum aliosque his posteriores scriptores; sed quid de tribus illis autoribus, & scipione eburneo statuendum sit, jam puto me docuisse, neque recentiores in hunc censum venire possunt. Et Salmasius id quod sancte affirmo, antea non vidisse, observat, veteres Consules scipionem tantum gestasse triumphi die, aut aliis festis diebus, at recentiores quotidie gestasse, & cum scipione curiam ingressos esse; laudatque Ammiani lib. 29. c. 2. & Servii ad Virgilium verba; & ad illa quidem Valesius male advocat verba Juvenalis, cujus Scholiastes respicit, ut puto, ad posteriora tempora, ubi notat: *Virga quam Consules portant, quia supra aquilas faciunt*; Ubi cum editionibus legi debet, *quam non supra quam virgam.* Servius autem notat, *apud majores omnes Duces cum sceptris ingressos esse curiam, postea cœpisse tantum ex Consulibus sceptra gestare, & signum fuisse, eos Consulares esse*; quæ ubi expendo, suspicio oborta mihi est, Marcum Papirium aliquem ex ducibus illis fuisse; & forte simplices tantum baculi fuerunt, quos *scipiones* & *sceptra* etiam vocabant; Posteriorum autem temporum Consules ejusmodi sceptra, quorum fastigio aquilæ insistebant, gestasse, eaque fuisse inter insignia Consularia, non modo ex variis autoribus, quos jam laudarunt eruditi, verum etiam ex illis seculi monumentis patet, quæ præclara edita atque illustrata sunt a Wilhemio in Diptycho Leodiensi, ubi Consulum edentium ludos, vel munera nobis exhibet, quem-

quemadmodum etiam occurrit in diptycho alio, edito a Baudelotio in lib. de utilitate peregrinationum, cujus inſcriptionem miror non poſſe virum egregie doctum, explicare, id quod tamen ante pluſculos annos me feciſſe memini in epiſtula ad quendam amicum eruditum miſſa. Agit etiam de hoc *ſceptro* Germaniæ magnum olim & nunc decus, Reineſius, epiſt. 23. ad Rupertum, ſed veniam mihi dabis, ut dicam, eum *Conſules* & *Triumphantes* confundere, id quod vel inde patet, quia Appianus in libro de bellis Punicis, quem laudat, non loquitur de Conſule, ſed de Conſule Scipione triumphante, quem ſcribit vectum eſſe curru *κατα γεγραμμένȢ ποικίλως*, coronatum corona aurea gemmata, amictum--*κ̀ σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος* manu tenentem, unde, qua vales, vir erudite, ſagacitate, videbis facile, nullum argumentum elici poſſe pro ſcipionibus Conſulum. Sed & illud, quia hunc campum ingreſſus ſum, animadverſione eſt dignum, poſteriorum temporum Conſulibus, non tribui ſemper aquila ſceptrum ornatum; in diptycho, quod edidit Sirmondus ad Sidonium, Filonenus Conſul tenet manu ſiniſtra ſceptrum, cui imponitur *προτομὴ* virilis, quæ forte refert Imperatorem Flav. Anicium Juſtinum. Nam Wilthemus in Appendice ad Diptychon Leodienſe, nobis exhibet Diptychon *T. t. Aſtyrii Viri clariſſimi & Illuſtris. Comitis. Ex Magiſtri Utriusque Mil. Conſulis ordinarii*, qui Conſulatus incidit in A. V. C. 1277. ſed

ſceptrum,

ſceptrum, quod tenet, nobis in ſummo oſtentat binas figuras, putatque vir pereruditus vultus ibi repræſentari Theodoſii junioris, & Valentiniani III. quibus imperantibus Conſulatum geſſit Aſtyrius. Atque hæc quidem mihi venerunt in mentem occaſione notæ tuæ, teque etiam atque etiam rogo, ut illa examinare, mihique erranti velis propitius viam monſtrare.

Mox addis, *circa currum triumphantis citharædos & tibicines aureis vinctos coronis, ſuaviſſime ceciniſſe*; ſed non capio, quomodo quis poſſit dici vinctus eſſe aureis coronis; Apud Appian. libro de Bellis Pun. legitur περιζώμενοι τε καὶ ϛεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενοι, id eſt, *veſtes ſuccincti*, & *coronam auream capiti impoſitam gerentes*, unde mihi omnino videtur ſequi, eos veſtibus more Tyrrheno cinctos in pompa inceſſiſſe, & capite geſtaſſe coronas aureas.

Mox ita commentaris; *Nec mirum in nummis conſpici* (ſerpentes) *cum in velis olim & vexillis militantibus haberentur*, id quod probas per Salmuthum in notis ad Pancirollum. Hic vir pro ſæculo, quo vixit, eruditus, male putat in velis dracones pictos eſſe; nam dracones illi erant facti ex telis, ad inſtar verorum draconum, & flante vento turgeſcebant ad eorum modum, id quod ipſa loca a Salmutho adducta probant omnino, patetque ſatis ex monumentis veterum, & Lipſio, in libro, de Militia Romana; meminique me olim notaſſe, Juriæum etiam graviter in

in hac materia explicanda lapſum eſſe. Pag. 10. notas Alexandrum, *pro Jovis genio habuiſſe eum ſerpentem, qui compreſſerat matrem, & cerni nummos ejus, ſerpentem habentes infantem vix natum & adhuc madentem ſangvine ore evomentem.* Ego certe ejuſcemodi monumenta vel genuina, vel ſuppoſititia nunquam vidi; & te ſummopere rogo, ut me docere velis, quis ante te, vir optime, talia tradiderit vel veterum vel recentiorum; inſervient enim talia illuſtrando *Alexandro* meo vel *Vero* vel *Falſo*, ambos, utinam abſolvere poſſem!

Atque hæc quidem æqui bonique conſulas, rogo, nec ægre feras, me a ſententia tua recedere; *hanc veniam petimusque damusque viciſſim*; & niſi longa nimis atque verboſa eſtet epiſtula, agerem etiam de nummo Veſpaſiani, cui inditam putas ejus Conſecrationem; de familiis jus cudendæ monetæ habentibus, & de Jove in Domitiani nummo ſæculari ſedente, de quibus loqueris in aliis diſſertationibus; Sed *ſcipio eburneus* mihi tempus abſtulit, & ut verum fatear, ohe jam ſatis eſt, ohe libelle! Vale qua propter quam plurimum. Daventriæ poſtridie paſchatos 1711.

EPIST.

EPISTOLA VI.

Clarissimo Celeberrimoque Viro Zach. Gœzio

S. D.

GISB. CUPERUS.

EPistula, quam ad me dedisti 10. Cal. Septembris proximi reddita mihi est, una cum specimine quarto Excerptorum sive Locorum Communium, exhibente partem primam Tituli, qui agit de Unione, Redunione & Syncretismo.

Placuit mihi exercitatio illa, quæ in una quasi parva tabella exhibet auctores omnes, qui illo de argumento scripserunt, id quod cum & feceris in præcedentibus Speciminibus, & facturus sis procul dubio in sequentibus, magnum profecto opus aggressus es, quod utique eruditis, qui variarum rerum cognitione tenentur, erit gratum & acceptum. Atque ego quidem edoctus eram varios conatos esse unire dissentientes partes, sed nunquam credidissem tot illud stadium fuisse ingressos.

Quod nunc *epistulam* & non *epistolam* scribam, fecit Justus Fontaninus amicus meus, & nunc Pontifici Romano ab Honore cubiculi; is enim in libro 1. p. 157. & seqq. Antiquitatum Hortæ multis defendit & probat illam scripturam. Est liber ille doctus admodum & Horta Etruscorum urbs mirifice in eo elucidatur, illum a viro illustri accepi donum.

D Mul-

Multum tibi debeo, quod ſcripſeris ad Abbatem Mariævallenſem, & Abbatem Molanum, quem, ut primum, non novi, ſed de quo mihi multa præclara narravit Comes de Flodrof, qui natus patre Marechallo de Wartensleben, in eam familiam transiit, & in vicinia mea habitat, omnium elegantiarum perquam ſtudioſus. Ecce tibi alios iſtorum nummorum ectypos, ſi forte viri graviſſimi & doctiſſimi primos perdiderint.

Primus me doces Illuſtrem Dominum de Bahr teneri amore veteris ævi relliquiarum; non de nihilo eſt, quod putet Didonem nobis in uno nummo repræſentari, alterum vero eſſe Carthaginienſem; nam in nummis Maurotaniæ Latinis etiam cernitur equiſo & equus, unde alii eruditi eundem attribuerunt dictæ regioni. Utinam, utinam ex uno ſpecimine cognoſcere poſſem, quam viam Baroille & Archiſatrapa Conſiliariusque Electoris Brunſvicenſis ſequatur in explicandis nummis Gentium Romanarum? plurimum tibi deberem, ſi hoc poſſes impetrare, & Nobilis ille vir me ſummopere devinciret, quem ut verbis meis officioſiſſimis ſalutare velis, etiam atque etiam rogo.

Trajanum diademate non habere cinctum caput in nummo cum voluptate intellexi & lætor te probare, quæ de *ſceptro conſulari*, quæ de *draconibus* ſignis militaribus aliisque rebus miſi. Non capio, quid ſibi hæc tua verba velint: De *ſerpente Alexandrino legi in MSS. notis ad Val. Max.*

Max. Philippi Caroli, Critici & Antiquarii olim Altdorphini; nisi me certiorem ita reddas, te notam eam, quam inseruisti alteri epistulæ debere Philippo Carolo; unde & majore desiderio tenor talem nummum videndi. Nondum interim ita te dimittere possum, & cum valeas ingenio, & pulchre provinciam, quam suscepisti, exornes, observaverisque complures procul dubio loquendi formas, de una eleganti agam, quæ in veteri Ins. occurrit:

TI. TUCIO
PATRI
CATIÆ MATERI
RUFO. TUCIO. FRATRI
O FILIA. COLA. UXOR
C. TUICIUS. TI. FILIUS
V. ARN. SCÆVA
FECIT. SIBI. ET. SUIS
PRO. SUA. COPIA.

Vir inlustris, qui eam edidit, explicat illud PRO SUA COPIA, pro sua familia & comitatu, additque hanc formulam nusquam occurrere apud antiquorum lapidum Collectores; & se putare in eo sensu loqui Cn. Pomp. Magnum apud Cicer. ad Attic. I. 8. post. epist. 12. his verbis: *Ad L. Domitium literas misi primum, ut ipse cum Copia ad nos veniret*: & inferius: *video censeri Marcello & ceteris nostri ordinis, qui hic sunt, ut Brundusium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo.* Mihi profecto alia omnia videntur, & puto τό SUIS facile rejicere *familiam & comitatum*; & credo eleganti hac loquendi formula significari

Tuccium Scævam extruxisse hoc monumentum & ornasse pro suis facultatibus, & significare, tantum se in illud impendisse, quantum opes & bona ejus vel res familiaris patiebantur. Ita certe loquuntur Romani, uti vel unus hic Ciceronis locus ostendit quam clarissime, lib. 4. ad Famil. Ep. 12. *Ibique pro ea* Copia *quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi*, id est, *pro ea pecunia*, quam Athenis apud se habebat, eidemque frequentissime vocem eam singularem sumi pro opibus & facultatibus, notum est. Pompejus autem designat milites, vel copias militares quæ eodem singulari designantur in variis aliis locis ejusdem Romani Consulis & Oratoris, atque id patet omnino ex sequentibus: *Idcirco*, ait Pompejus, *ad L. Domit. literas misi primum uti ipse cum* omni Copia *ad nos veniat, si de se dubitaret ut cohortes XIX—ad nos mitteret*: & iterum: *Ita video censeri Marcello---ut Brundusium ducerem* Hanc copiam, *quam mecum habeo. Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatur.* Atque hinc utique patet, nihil hæc loca pertinere ad lepidam Inscriptionem, id quod & te censurum nihil fere est, quod dubitem, maxime, quia etiam eodem sensu apud Ciceronem aliosque occurrunt *pro facultate*, *pro opibus*, & alia, *pro temporibus* &c. Illud itidem observandum in illo lapide V. ARN. exponi Vir Arniensi n. Tribu, quæ a fluvio Arno fuit appellata.

lata. Ego nolo rejicere hanc explicationem, quia meliorem nondum invenio, ſed tamen affirmare poſſum, me nondum ſimilem loquendi modum, ad deſignandum, in qua Tribu aliquis cenſebatur inveniſſe, & ideo mallem illud ARN. explicare *Arnenſem*, id eſt, oriundum oppido Arna, quanquam illud V ea occaſione pro *Vir* mihi etiam non ſit lectum. Atque ita inter nomina propria ponitur idem gentile in lapide veteri apud Cluverium & Gruter.

D. M.
C. NONIO
C. F. ARNENSI
PROCULO
COS.

Putatque vir inprimis doctus, eum fuiſſe Conſulem A. V. C. 1093. cum Flavio Septim. Acyndino; ſed is Proculus nequaquam vocabatur, C. NONIUS, ſed **Q. Arcadius Rufus Valerius Proculus**; adeo ut ſit potius ſtatuendum hunc *C. Nonium Proculum* fuiſſe ſuffectum, quippe cujus nomen in Faſtis non invenitur; & tam apud Gruterum, quam apud Reineſium varii *Arnenſes* occurrunt; niſi tamen potius in iis deſignetur *Tribus Athenienſis*, quod & ſtatui poſſet de Nonio Proculo, ſi illa dicta fuit Arnienſis & Arnenſis, id quod certe credit Onuphrius, adducta Inſ. quæ apud Grut. eſt. I. p. CCCCLXXXV. M. HELVIUS M. F. CLEMENS ARNENSIS

Domo CARTHAGINE. nisi significetur, eum civem Arnensem esse, sed Carthagine natum, apud Gruterum tamen scribitur *Arnensi* n. Tribu, uti ordinarie Romani eas designabant, *Æmilia*, *Claudia*, *Crustumina*, *Fabia*, *Galeria* &c. nempe Tribu. Si tamen viris eruditis credendum, nonnunquam etiam in Arnensi Tribu recensitus appellatur *Arnensis* vel *Arniensis*, uti in Inscript. 2. p. DLIV. C. MURRIUS C. F. ARNIENSIS. FORO. JULII. MODESTUS; & ita in Ins. 10. p. CCCCLXIX. C. SILENUS. C. F. SERENIANUS. ANNIENSIS. OMNIBUS. HONORIBUS. MUNICIPALIBUS. PERFUNCT. Neque tamen in ulla observas literam V. pro VIR, quæ in illa sola, de qua ago, occurrit.

Atque hæc quidem exercitii gratia in chartam conjeci, tibique liberum judicium de hisce difficultatibus relinquo; Si conjecturas meas approbas, lætabor, si meliora doces, gaudebo, & cum voluptate accipiam, me tua opera doctiorem fieri: Vale etiam atque etiam, Dav. a. d. X. Cal. Dec. 1711.

EPISTOLA VII.

Clarissimo Celeberrimoque Viro, Zach. Goezio S. D.

GISB. CUPERUS.

OCcupatione mea & variis excursibus, atque inprimis Comitiis quæ Ordines Trans Isalaniæ mensibus Martio & Aprili Campis habuerunt, factum

factum est, ut desiderio tuo satisfacere non potuerim, & tam cito respondere, ac ipse quidem volebam. Cumque officio illo Majo mense defungi vellem, proficiscendum mihi fuit ad comitia Benthemensia, eo missus ab ordinibus Trans Isalaniæ, qui inter Ordines illius comitatus primum locum tenent, propter agros, quos in inferiore Comitatu complures possident, & quia illius partis Domini Feudales sunt.

Et licet nunc fasces hujus urbis penes me sint, & in ipsis feriis labores non cessent, tamen tantum temporis illis surripui, ut nunc tecum agere, & confabulari queam. Lætor igitur te Gnosticos illustrasse, & varia excerpta habere de nummis, aliisque rebus elegantibus; sed doleo summopere, te desperare quasi de iis, vel te vivo, vel post mortem edendis, atque adeo te videri abjicere elegantiora studia, quia illa non sunt in pretio, & labores eruditi vix obolo æstimantur.

Illud profecto verum est, idemque Musæ in nostro orbe experiuntur, in quo paucissimi artis severæ amant effectus; mentemque studiis applicant, atque inde fit, ut inhonorati Professores vivant, vel certe eo loco non habeantur, quo digni sunt. Sed propterea velle abjicere studia, & Musis nuntium remittere illud quidem pati non possum, teque etiam atque etiam rogo, ut justa depulsa ægritudine & pessundata, velis resumere animos, & pergere qua publice, qua privatim bene mereri de Rep. literaria, & eruditis

opusculis tuis efficere, ut alii possint extendere usuram eruditionis. Abbas Mariævallensis ad me nuper literas dedit, donumque mihi misit tres dissertationes, De Historia sæc. IV. fabulis contaminata, primam de Mariæ nomine---& de columbis in Ecclesia Græca & latina usitatis. Has certe legi alacriter & cum singulari fructu & voluptate, capior enim summopere facili stilo & diversitate rerum, quas nobis exhibet Abbas ille Inlustris.

Philippi Caroli eruditio mihi nota est, possideoque ejus Animadversiones in A. Gellium & Curtium, sed nunquam vidi alias ejusdem lucubrationes, inter quas video recenseri varias Lectiones, quas equidem legere vellem; doleo virum tam eruditum transiisse in castra Pontificiorum; doleo vehementer eundem in MSto non annotasse, in quo cimelio talem Alexandri nummum viderit, quem ego profecto fictum & suppositum esse plane sum persvasus. Mortuus est Thedor. Janss. ab Almeloven, vir certe spectatæ & multæ eruditionis, & ego credo, octo vel decem sese offerre ad provinciam illam ornandam, & sunt inter eos, qui pulcherrime id facturi sunt, nisi me plane fallo. Respl. literaria amisso illo viro ingentem jacturam fecit, docendo enim & scribendo illam mirifice exornabat, eratque amicus meus singularis, unde factum etiam est, ut possideam ingens volumen epistularum, quas nobis mutuas scripsimus, quibus præfiscine dixerim, plurimi

rimi auctorum veterum loci, Historia & Antiquitas mirifice illustrantur.

Libros, qui eduntur, cum inserantur Actis Eruditorum, quæ Gallica in Batavis publicantur, ad unum fere omnes, nihil necesse est recensere, cum illa procul dubio deferantur Osnabrugum, mittere tamen debeo, mense Octobris destructam Hagæ Comitis iri Bibliothecam Marckianam, quæ locupletissima est, & digna ut a Principe possideatur. Nam præter librorum numerum ingentem rarissimi, & vix nomine in hisce oris noti inter eos reperiuntur, multique manuscripti, nequid jam dicam de ligaturis, Gallicis & ex Turcico coreo atque adeo deauratis foliis &c. &c. Sed Vale Dav.

Alio tempore agam de tribus antiquitatibus, quas recenseo ultima epistula, quam ad te dedi postridie paschatos anni 1711. ubi intellexero tibi hoc commercium non esse ingratum & videro te aliquid etiam ex divite penu tua depromere; Vale in Suburbano meo 12. Sept. 1712.

EPISTOLA VIII.

Zachariæ Gœze Viro præstantissimo & doctissimo S. D.

GISB. CUPERUS.

Literæ tuæ ultimæ mihi venerunt acceptissimæ, & placuit mihi specimen tuum sextum locorum communium. Singularem profecto inde cepi

voluptatem & nunquam credidissem, tot libros editos esse *de Judæorum rebus*, animadvertique plurimos tibi recenseri auctores, quorum nomina mihi plane sunt incognita. Loqueris etiam de Mose & Aarone Godwini & in eum notis Reitzi, eundem auctorem etiam anno 1698. edidit Herm. Witzius cum dissertationibus de Theocratia Judæorum, & Rechabitis, sed vix dubito, quin Reitzius illa viderit & editioni suæ adjecerit &c. &c. Cæterum communicasti mecum Specimen Locorum Communium IV. V. & VI. &c. Vix credo te vidisse Norisii Cardinalis Parænesin ad Harduinum, digna est lectu, & Jesuita ille misere vapulat, tria vel quatuor ad me missa sunt exemplaria, quorum tibi unum dono mitto; Sed jam ad epistulam tuam veniendum est; quæ scribis de apostata Philippo Carolo nunquam audiveram. Miror Meierum tibi non significasse collegæ sui & nostri amici communis, obitum; sed est valde occupatus. Longam & pereruditam epistulam ab ipso nuper accepi enodatque tres, quatuorve quæstiones, quas ipsi ex Novo Testamento proposueram, certioremque me facit, sese scripturum de tabernaculo Mosis ac tribus templis, Salomonis, Zorobabelis atque Ezechielis, cujus ultimi anno 1707. specimen dedit. Habuit etiam anno proxime elapso orationem, quæ ultimo tuo argumento vel specimini inservire posset; argumentum enim ejus est, *Fundamenta & principia Philologiæ sacræ, quæ in ritibus Hebræo-*

rum

rum narrandis verſantur, cujus lucubrationis cum mihi duplex ſit exemplar, alterum tibi ſimul mitto.

Hiſtoriola de *Nucleus* me exhilaravit haud mediocriter quid agas tales ſemper in Repl. eruditi fuerunt. Jam me breviter promiſſis exſolvam, & agam de tribus rebus, quibus explicandis, me in quadam epiſtula obſtrinxi.

Non puto in nummo Veſpaſiani repræſentari Apotheoſin illius Imperatoris, uti tradis Diſſert. II. Decad. II; nam non ſolum Auguſtus ille non appellatur *Divus*, verum etiam dicitur Coſ. III. tantum cum novies illam dignitatem geſſerit, adeo ut procul dubio tempore, quo ille ſignatus fuit numus, in vivis fuerit. Aquila, fateor, frequenter nota eſt conſecrationis Auguſtorum, ut pavo Auguſtarum, ſed hoc loco iſtud nequaquam admitti poteſt, & aquila globo terreſtri inſiſtens, nihil aliud ſignificat, quam imperium & Imperatorem Romanum, cui totum mundum parere dicebant; *Orbem jam totum victor* Romanus *habebat* --- quo pertinet in eodem Conſulatu fuiſſe ſignatos nummos cum Inſcript. PACI ORBIS TERR, &, SECURITAS ORBIS.


Diſſert. I. Decadis itidem ſecundæ p. 6. notas Familias quondam Romæ jus cudendi monetam habuiſſe, idque innumeros earum nummos teſtari apud Urſinum & alios. Sed nulla unquam Gens vel Familia fuit Romæ, cui eſſet jus cudendæ monetæ, omne illud penes Senatum erat, & elige-

eligebantur ex Familiis, & quidem præcipuis *Trium Viri Auro Argento Aere flando feriundo*, & inde eſt, quod eorum nomina in iis monumentis legantur, qui in iisdem etiam ſcribebant majorum res geſtas & nomina. Poſtea peſſumdata libertate & Rep. idem jus, ſi æs ſpectes, penes Senatum manſit, aut aurea & argentea moneta penes Familiam Cæſaream, ſive Auguſtos erat, & inde in æreis viſitur S. C. quanquam notæ illæ conſpiciantur nonnunquam etiam in argenteis.

Diſſert. 3. Decad. 2. In nummo Domitiani, putas Jovem occupare averſam partem & in ea ſedere, id quod mihi ſecus videtur, nullaque inſignia, præcipue illius Dei adſunt, unde id probari poſſit, non fulmen, non aquila, non ſuperior pars corporis nuda, non ſpiſſa barba: crede mihi, eſt ipſe Imperator Domitianus, qui aliquid diſtribuit populo, id quod etiam tradit Rainſſantius: En la ſeconde medaille Domitien aſſis ſur une Tribune devant un temple, qui eſt celui le Jupiter Capitolin ſemble donner quelque choſe a un officier. Neſcio, quare vir doctus nobis memoret, *un officier*, neque enim is locum habere poteſt, ſive militem intelligas, ſive aliquem qui in palatio apparebat Imperatori; quales eo nomine Gallis veniunt; eſt vir togatus, & per eum populus, non ſecus, ac per figuram minorem repræſentatur; perque hunc deſignari poſſent pueri patrimi & matrimi qui carmina ſæcularia canebant. Eadem

fere

fere ſentit Rainſſantius, niſi quod velit Domitianum thura tradidiſſe Quindecim Viris Sacris faciundis, & illos diſtribuiſſe populo reliquo. Sed ipſe nummus tuus *populum* loquitur, *Senatu Populo Que Conſentiente SUF ſimenta Populo Data.* ut ipſe Inſcriptionem illam exponi debere cenſes, doque tibi conſiderandum, an non ſecundo loco melius foret ſcribere, *plebi* quam *populo?* Notandum autem, ſimilem nummum non recenſeri Mediobarbo, & apud Rainſſ. ſcribi tantum SUF. P. D. Sunt tamen mihi bini ærei, in quibus ſimilis tuæ ſcriptura legitur; in uno enim latere ſubſellii vel Tribunalis S. P. Q. R. in alio SUFF. D. & vide, quæſo, an in tuo non ſimiliter legatur, & certe illud *Conſentiente* mihi parum placet, quia Domitiano non opus fuit conſenſu ſenatus & populi ad ſuffitum dividendum, ut nec illum habuerunt ad congiaria & liberalitates, quæ tam frequenter in nummis obvia ſunt. Domitianus autem ſedet in tribunali tanquam XV Vir ſacris faciundis, eorum enim munus erat, diſtribuere populo ſuffitus & καθάρσια, uti nos docent Zoſimus l. 2. c. 5. Et hunc ſacrum honorem non fuiſſe ſpretum ab Auguſtis, patet ex iis, quæ notavi lib. 4. obſervat. c. 13. & quæ ibi annotavi, valde augere poſſem, ſi quando nova fiet editio quatuor librorum Obſervationum, quas in publicum emiſi juvenis, uti primitias & απαρχας qualiscunque futuræ meæ eruditionis, unde & t, ut nonnulla mihi nunc non ſatis placeant. Vale



Vale plurimum, Davent. ipsis Nonis Novembris 1712.

Domitianum ipsum sedere in tribunali, & stare in aliis nummis, qui spectant ad ludos sæculares togatum, tradunt etiam Mediobarbus, Erizzus, Vaillantius & alii plures.

EPISTOLA IX.

Clarissimo Celeberrimoque Viro Zach. Gœzio
S. D.
GISB. CUPERUS.

EPistula, quam ad me dedisti 3. Kal. Maji, reddita mihi est, una cum binis dissertationibus. Singularem autem voluptatem cepi ex Excerptis illis, vel locis Communibus, & inde perspicio lætus, te diligentissimam operam studiis dedisse, & non modo legisse autores veteres, verum etiam recentiores, quorum variorum opera ignorarem plane, nisi tu, vir eximie, in lucubrationibus tuis eorum fecisses mentionem. Et quidem mirifice me oblectavit illa, quæ agit de Ignominiosis Appellationibus quibusdam, quas sollerter ostendis, unde originem ducant suam, & ego quidem vellem, ut reliqua etiam id quod promittis, nobis exhiberes, quia eiuscemodi observationes mirifice delectant, & multas Veneres habent. Cum autem ibi etiam de *Cane* agas, doce me, quæso, quibus legibus Romano-Germanicis

Imperii

Imperii sancitum sit ut cum Judæis noxiis ex patibulo canes suspendantur; didici illud olim ex famosissima historia furum, qui incredibilia furta commiserunt in variis tractibus Germaniæ, & qui altare aureum vel tabulam auream supra altare erectam apud Lunæburgenses vel Brunsvicenses cultro consciffam immani furto abstulerunt, qua de re consului sæpe populares tuos, sed nemo mihi eam aperire potis erat.

Neque profecto minus mihi Specimen tertium placuit, qua persequeris omnia, quæ ad Salvatorem nostrum Jesum Christum, laudandum & adorandum perpetuo, pertinent, & in brevi quasi tabella exhibes; quæ a variis doctis de Deo & Homine, qui nobis salutem peperit, scriptis mandata sunt. Quin & video te perhonorificam mei facere mentionem & publicare ea, quæ de nummo impietatis pleno tecum communicavi, quo nomine me plurimum tibi debere ut lubens libens confiteor, ita video operas typographicas errasse, dum dant nobis *Fontejum* pro *Fontaninum*. Patere autem, ut mittam, me de Actis Pilati etiam agere in Notis ad Lactantium de Mortibus Persec. illamque Observationem augere; *Chrestum* Svetonii mihi esse *Christum* D. N. & de eo loqui autorem illum tanquam sub Claudio vivente, quia Evangelium & annuntiatus Christus tantas inter Judæos turbas dabant, aliis eum amplectentibus aliis reiicientibus, & abominantibus; De pseudo-Messiis agere peculiari Disserta-

ſertatione Joh. a Lent, Herbornenſem Theologum; Banagium variis locis Hiſtoriæ Judaicæ, meque numerum illorum augere poſſe; me velle equidem videre promiſſam diſſertationem tuam, de Conſtantini labaro & ſigno, qui ego in illis diſputavi cum Joh. Alb. Fabricio, cujus procul dubio Exercitationem legiſti, & quam ego nequaquam probare poteram, quo tempore viro egregiæ doctrinæ & ſtupendi laboris, dabam conſiderandum, annon vetus illud ἐν τȣτω νικα, aliter exponendum foret, *n. per hunc*, nempe Chriſtum, *vince*, cujus nominis Divini primæ literæ a Conſtantino in aere conſpiciebantur, uti memoriæ ejusdem temporis ſcriptor mandat Lactantius. Atque ita quidem ſpecimina tum percucurri & credo te ex admonitione mea perſpicere, me magni facere præclaram tuam eruditionem, & Herculeum quaſi laborem, cum tot libros legeris, ut credam fore, alium illi imparem fore. Macte hac virtute & ita feliciter promove pomærium rei literariæ. Nunc ad pergratam epiſtolam tuam accedo & gratulor tibi, quod onus unius provinciæ tibi ablatum ſit, & ſpero te ita recepturum perditas tuas vires. Meinderſenii eruditum volumen de ſtatu Religionis & Reipl. ſub Carolo M. & Ludovico Pio nondum vidi, neque tamen dubito, quin idem afficias digno titulo. Tillius, variis libris Theoll. Philol. editis clarus, nunc impar oneri ferendo vixit, & quaſi ad infantiam redactus eſt, & Witzii fama atque eruditio poſt mortem celebratur & extollitur

tollitur valde. *Consecratio* Imperatoris Romani nunquam facta fuit ipso vivo; aliud longe est, vivum honoribus divinis colere, id quod factum esse, multis iisque haud vulgaribus exemplis, doceo in Dissertatione de Arrogantia R. Imperatorum in imitandis Diis; aliud in numerum deorum mortuos referre, & ita eos in cœlo collocare, atque attribuere regimen in omnem orbem terrarum. Veniam da, si non bene cepi sententiam tuam de Familiis Romanis, quibus jus cudendæ monetæ videbaris attribuere, & lætor te etiam sedentem in nummo conspicere Domitianum & non Jovem. De significatione nominis *Imperatoris* omnia se ita habent, inprimis tamen distingvenda sunt tempora liberæ Reipl. & Cæsarum vel Augustorum, quæ, si observantur, ut omnino debet fieri, ego non video, quomodo jure *Imperator Domitianus* reddi Gallice possit Officier, ou General Maresal, est enim tunc primi fastigii vocabulum, & notat potestatem in Imperio Romano supremam; quin & dubito, an alterum nomen Imperatoris, quod nomen proprium sequitur, additis sæpe numeris ita reddi possit, quia illud dabatur a militibus Cæsari, cum ipse vel per Legatos vicisset, eaque appellatione dignus judicabatur triumpho. Sed quid ego hæc apud te balbutio? ipse veluti ex tripode illa pronunciare potes, &c.

Atque ut tædium, quod forte ex epistula mea contraxisti, detergam, accipe, me pereruditas literas accepisse ab episcopo Adriensi, Philippo a Torre, Muratorio, Astorio & Pataro, nec non

ab Iselio Professore Basileensi, cum quo mihi lis amica est, de spec. incensis ab Archimede apud Syracusas Romanorum navibus, quod credere non potest vir inprimis eruditus, factum esse speculo caustico, qualia hodie in usu sunt; & quanquam argumentis pugnet non contemnendis, tamen me nondum in sententiam suam pertrahere potuit, examinabo tamen responsurus iterum elegantem hanc materiam, & multum me tibi reddes obstrictum, si, quid tibi videatur de hoc argumento, mittere, quod commode fiat, ad me velis.

Possem etiam de aliorum virorum eruditorum tam Germanorum, Gallorum, Danorum & Batavorum epistulis loqui, sed urget me & impellit Consul apud Smyrnenses Britannus, ut aperiam tibi viri thesauros. Misit igitur vir ille naturalis Historiæ, Inscriptionum, numismatum veterum, aliarumque Philologiæ partium studiosus & peritus valde, Indicem rarissimorum & magnam partem ineditorum nummorum, & Inscriptiones Græcas itidem ἀνεκδότȣς, quæ profecto plenæ sunt eruditionis. In uno numo legebatur ΝΑΥΚΡΑΤΙΣ L. II. qui a nemine adhuc vulgatus fuit; altera area repræsentabat optimum Principem Trajanum: In alio ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΤΕΤΑΡΤΗΣ, qui signitus fuit a quarta Macedoniæ parte; nosti Romanos post victos Reges Macedoniam liberam pronuntiasse, & in quatuor partes divisisse, atque inde factum esse, ut singulis relictum sit jus cudendæ monetæ, quod Regum ante fuerat; primæ partis

partis nummus a variis vulgatus est; secundæ partis alium ego possideo, unicum, uti credo, nec alibi obvium, de quo agit Ill. Spanhemius in Londinensi Dissert. suarum Editione; tertiæ partis nescio an alicubi exstet, & quarta pars, uti vides, servatur Smyrnæ. Utinam & *tertiam* illa nobis daret, & ita habere possemus quatuor illustria testimonia & divisiones & libertates Macedoniæ. In alio tandem ΚΑΡΔΙΑ, itidem non obvia apud Harduinum, vel alios, & nosti *Lysimachiam* antea ita vocatam esse. De Inscriptionibus postea videbo, nunc hoc Catone contentus sis rogo, & Vale. In suburbano meo XIII. Maji 1713.

P. S. Video te annotare *per ignominiam* Christianos paulo post *Chrestianos* fuisse appellatos, testantibus Lact. l. 1. c. 7. & Tertulliano in Apologet. c. 3. Sed apud Lactantium c. 7. nullam ignominiam invenio, quin & Tertullianus ipsum nomen Chresti & Chrestianorum, licet perperam ita illi vocarentur, laudi ducit, tanquam compositum de svavitate, & benignitate, & vocem illam Virum probum, svavem significare, notum est, atque adeo etiam patet ex Luciano, ubi de Christianis loquens, paucos ubique χρήστους i. e. probos & bonos esse scribit. Scilicet gentilibus ignota erat plane vis nominis *Christi*, nec capere poterant, quid sibi illud velit, ignorantes morem ungendi Reges & Sacerdotes, quem unicam mutati nominis rationem fuisse, existimo.

In nonnullis Inſcriptionibus legitur quidem *Chriſte*, ſed hoc nihil ad Chriſtum Dominum noſtrum, valetque idem quod *Chriſte* vel χρῆστη, *Vale*; ita enim ſtatuo, ſingulari Dei providenta factum eſſe, & fieri, ut divinum illud nomen nemini mortalium vel detur vel datum ſit &c. Vale iterum. Dav. 16. Maj. ipſa hora, qua currus hemerodromus abit.

EPISTOLA X.

Clariſſimo doctiſſimoque Viro Zachariæ Gœze S. D.

GISB. CUPERUS.

NOn dubito, quin me ſis excuſaturus, quod tam tarde reſpondeam literis, quas ad me ultimas ipſis Calendis Septembris proximi dediſti; illæ mihi valde placuerunt, uti etiam, quod iis junctum erat, ſpecimen, eoque nomine gratias tibi ago. Initium epiſtulæ tuæ Chriſtus eſt, ſalutare illud nomen totius orbis, diſputaſque, num apud Sveton. in Claudio per Chreſtum Salvator noſter ſit intelligendus. Ego quidem id puto omnino, lætorque a partibus meis ſtare Ittigium, qui & mei facit mentionem Sæc. I. c. 6. n. 4. Video te, Vir egregie, alia omnia ſentire, & cum Hilſchero ſtatuere *Chreſtum* Svetonio memoratum alium eſſe a *Chriſto*, eundemque fuiſſe ſeditionis facem, & turbarum inter Judæos auctorem.

ctorem. Sed hoc mihi plane a ratione alienum videtur; Sedeamus quæso, ad calculum, & subducamus rationem. Hic Svetonii Chrestus debuit fuisse gentilis, vel Christianus, vel Judæus; nullo modo est verisimile, eum fuisse primi ordinis quia gentilis rebellis sese non applicasset ad Judæos; & ejuscemodi facinora erant plane a Christianorum moribus aliena; restat igitur aliquis Judæus, nomine Chrestus, qui has turbas excitavit, inter quas, si quæstio hæc, *an Christus fuerit Messias*, locum non habuit, sequitur, nisi me plane fallo, hunc Judæum rebellem se non conclusurum fuisse Romæ, & ibi Judæos se concitaturum; cum utique, si de Religione non fuisset actum, & quidem de persona Messiæ, vel Christo, ille videtur excutere voluisse jugum Romanorum, quod utique nullo modo verisimile est Romæ fieri potuisse, contulissetque ille se procul dubio in Judæam, ubi & alii tumultus excitabantur. Ego te etiam atque etiam rogo, ut hasce rationes perpendere velis, si tamen persistas in sententia tua, nihil est, quod dubites, quin ego id sim facturus æqui bonique. Hac occasione facere non possum, quin agam de nonnullis, quæ M. Amandus Gotthold Fehmelius Lipsiiæ anno 1710. inseruit Disputationi priori *de catacumbis Romanis*. Agit igitur §. XII. de Monogrammate Christi, creditque illud etiam cerni in Ptolomæorum numismatibus, inter quæ eminet illud, in quo monogramma hoc cernitur, quod

Gretſerus pronuntiat χρηςὸν, h. e. *bonum*, *benignum*, *ſuavem*, quales glorioſi Ptolemæorum tituli recenſentur a Tertulliano in Apol. c. 3. Diceres profecto tale cognomen habuiſſe ſecundum Tertullianum Ægypti Reges, id quod tamen longe ſecus ſe habet; nam capite illo ne *Ptolemæorum* quidem meminit; ſcribitque tantum, cum *Chriſtianus* ab iis nempe gentilibus, perperam *Chreſtianus* vocatur, de ſvavitate vel benignitate compoſitum eſſe, & ita odi in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Quin & ego non credo ullum Regem Ægypti iſtud nomen tuliſſe, quod ſi factum fuiſſet, ſcriberetur idem haud dubie literis, ut alia, & non per monogramma; deinde jungeretur nomini Regis, & non poneretur parvum alio & non debito loco; Unde ego ſtatuo eſſe notam monetarii, & forte primas nominis illius literas, vel etiam χρηςήριον, ſive oraculum Jovis Ammonii denotari, uti putabat vir inſignis Chriſt. Ad. Rupertus, in orat. Hiſtoric. quia hoc ſignum occurrit in nummis ſolius Ptolemæi Apionis Regis Cyrenarum, cui regioni vicinum erat iſtud oraculum, monogramma autem illud exſtat infra pedes aquilæ, qui ſitus certe cognomen Regis & oraculum plane rejicere videtur. Inde notat idem vir doctus, Patinum explicare ſignum illud per χρυςὸν (imo χριςὸν) h. e. unctum, eoque nomine Reges ſuos deſignare ſolitos Ægyptios. Vir hic inſignis, & mihi, dum viveret, amicus, annotat in Conſtantio, filio Conſtantini Magni: Ægyptios & deinde

deinde Judæos Reges suos nominasse χρισοὺς, quasi unctos oleo, nec prius illos renuntiatos Reges, quam oleo ipsi Prophetarum manu perfusi essent. Certe id factum apud Judæos; sed velim mihi daretur aliquis auctor, qui rem tam singularem de Ægyptiis memoriæ prodidisset. Ego quidem agnosco ignorantiam meam & libens lubensque fateor, me nihil tale legisse. Et quanquam sciam Fortunatum Scacchum Lib. 3. c. 45. Myrothecii eadem sentire & statuere, apud alias etiam gentes Reges inaugurandos, oleo unctos fuisse, tamen mihi videntur adlata exempla istud non plane firmare. Nam ex 3. (nobis 1.) Reg. c. 29. apparet quidem, Deum jussisse, ut Elias Propheta Azaëlem ungeret in Regem Syriæ; sed inde non sequitur, Reges Assyriæ ita inauguratos antea fuisse, verum deus hoc facit, & sic loquitur, quia Reges Judæ & Jsraelis eo modo ungebantur; nam, si mos hic in Oriente obtinuisset unquam, persvasus sum, illum non inter mortuum, & aliquem veterum auctorum ejus fecisse mentionem. Deinde Apologus, qui invenitur Judic. c. 9. certe narrat, *Arbores convenisse, ut ungerent super se Regem*, verum, cum non constet, quo tempore hic liber sit conscriptus, an post, an ante Reges, potuit ejus auctor primo casu respicere ad morem suo tempore usitatum. Nec exemplum Cyri, qui *unctus* vel *Christus* Dei vocatur, ad rem facit, cum utique non constet, illum unctum oleo fuisse, cum regnum suscipe-

 ret;

ret; & credo hanc loquendi formam ſumptam eſſe a more Judæorum, recte tamen Cyrum ita appellari, quia Deus illum elegerat, deſtinaverat ad populum ſuum liberandum, nec unctionis in hiſtoria Regum Perſarum ulla mentio apud veteres Scriptores. Addit Scacchus apud Romanos magiſtratus quoſdam olim *ſacra* initiatos fuiſſe *unctione*, & Varronem lib. 5. de L. Latina, narrare, poſtquam alios adduxit ſolemnes ritus *inaugurationis*, advocari viros quoſque præcipuos in templum, & poſt hæc addere, *ubi licet*, (imo *lucet*) *Cenſor*, *Scriba*, *Magiſtratus murrha*, *ungventeis unguntur*. Sed non agitur ibi de inauguratione alicujus Magiſtratus, verum de *Cenſura*, ad quam faciendam illi, qui cenſores antea creati erant, ſe ritibus aliquibus præparare debebant: adeo, ut pateat, ea, quæ Varro commemorat, argumento, de quo loquor, non convenire.

Alia ſunt, de quibus nunc agere poſſem, quæque in laudata diſſertatione occurrunt, ſed nolo patientia tua abuti, teque rogo, ut, quid de ratiocinationibus hiſce ſentias, mihi, quod commode fiat, aperire velis.

Miror, nullam legem latam eſſe in Germanico Imperio, de cane cum Judæis noxiis ſuſpendendo, conſvetudine igitur hoc debet introductum eſſe, quia illi blaſpheme ſemper de Salvatore noſtro Benedicto loquuntur. Quæ de ſigno crucis, vel primarum literarum ſacrati nominis Chriſti diſſeris, pulchra ſunt; multi eruditi inter

ſtra-

ſtratagemata iſtud numerant, & inter eos Tollius, in præfatione Gallica, quam Longino præpoſuit, adducitque ſimile exemplum Regis Antigoni, qui in publicum apud milites dedit, ſe vidiſſe in ſomno *Pentagonum* & hanc Inſcript. *In hoc ſigno vinces*; nunquam hanc hiſtoriam invenire potui, imo arctiſſime e contrario ſcio virum doctum errare tam in nomine Regis, quam re ipſa valde. Longa mihi inſtituenda eſſet diſſertatio ad docendum, unde fabula hæc originem traxerit, nec mihi tantum temporis, imo nec tibi ſupereſt, ut illam agredi, & tu legere poſſis.

Tillius diem obiit ſuppremum. Facile credo ſpeculum Archimedis vitreum non fuiſſe, ſed potuit eſſe ex ære, vel alio metallo; Conatusque fui machinam iſtam defendere in epiſtula ad celeberr. Iſelium, a quo indies expecto reſponſum. Vitreum poculum ductile mihi in primis mirandum videtur, & tecum difficulter illi fidem adjicere poſſum, quanquam illud non modo memoret Joh. Sarisb. verum etiam Dion. Caſſius, ſed breviter l. 57. p. 617. Si tam pulchrum ingenium inter artifices fuit olim, certe damnanda eſt Tiberii Cæſaris feritas atque invidia, quod noluerit ſæculum ſuum tam illuſtri invento celebrari.

Oblitus fui monere, te recte annotare ✱ in nummis ethnicorum frequenter occurrere, & non eſſe monogramma, ſed *ſtellam*, vel *ſolem*, quæ nota certe in plurimis occurrit. Sed mono-

gramma ☧ non invenitur, nisi in æreis Ptolemæi Apionis rarissimis nummis, teste Scaligero ad Chronicon Eusebii, unde facile confutatur explicatio viri eruditi Fhemelii ante laudati, qui inde faciebat *aurum*, tanquam monetarii ita denotassent materiam, quia scilicet Montfauconius vir profecto insignis, qui mihi donum misit Hexapla Originis, annotat Librarios monogrammate ☧ monuisse sententias & loca autorum, quæ auro contra elegantia & maxime notanda erant. De Ptolemæis Apionibus uno Cyrenarum, altero Libyæ siccioris, Regibus, vide eundem Scaligerum loco laudato, & p. 154. monendusque es, explicationem χρηστηρίου ab Illustri illo viro accepisse Rupertum, id quod & fateri videtur allegando notam ipsius priorem. Nescio tamen, an recte duo Apiones Reges statuantur, & hoc alio tempore examinabo, videor enim animadvertere non nisi unum esse potuisse. Atque ita ad finem epistula tuæ perveni. Vale, Dav. 30. Januarii 1714.

P. S. Animadverti post scriptam hanc epistulam, Valesium ad libr. XXII. A. Marcellini extremum statuere unum tantum fuisse Ptolemæum Apionem Cyrenarum & Libyæ Super. vel Ammoniacæ Regem, filium Ptolemæi Physconis ex concubina. Et notandum imprimis Sex. Rufum Festum, quem reliqui secuti sunt, narrare, *Ptolemæum antiquiorem Cyrenas cum cæteris civitatibus Libyæ Pentapolis* dedisse Romanis, & eos ad- secu-

ſecutos eſſe, *Libyam ſupremo Apionis Regis arbitrio*; cum contra auctores illorum temporum Cyrenas tribuant *Apioni* & de Ptolemæo antiquiore ejusdem tractus vel Libyæ ſuperioris, nullam plane faciant mentionem, nec ante Cyrenas Lybia unquam fuerit in Romanorum poteſtate. Finirem, niſi monere deberem, errare viros doctos, qui Ptolemæorum nummos genuinos putant, in quibus eorum in vulgus ludibrii cauſa, data cognomina leguntur, ut hujus Ptolemæi ΦΥΣΚΩΝΟΣ, alterius ΑΥΛΗΤΟΥΣ &c. cujus erroris ſeſe reos faciunt Ægidius Lacarrii Soc. Jeſ. in catalogo, vel ſerie Regum Ægypti, Rupertus ad Synopſin Beſoldi, Goltzius & procul dubio alii. Sed quid ago? quaſi quidquam horum ſit, quod ignores.

EPISTOLA XI.

Zachariæ Gœze Viro præſtantiſſimo

S. D.

GISB. CUPERUS.

QUod Svetonius in Claudio Chriſtum appellat *Chreſtum*, & memorat *Chriſtianos* in Nerone, mihi non ſatis validum videtur argumentum, ad evincendum, *Chreſtum* fuiſſe ſub Claudio hominem vivum, qui turbas in Roma excitare conabatur, & quidem ope Judæorum, & propterea eundem alium fuiſſe a Chriſto Domino noſtro.

nostro. Et argumenta, quae in medium attuli, ejuscemodi mihi videntur ponderis, ut ego abire a mea sententia nequeam. Quas enim turbas cum solis Judaeis concitare contra Imperium Romanum posset Chrestus ille? & si ille sese dixisset *Messiam*, id quod unicum est, quod admitti posset, utique Historici tam Ecclesiastici, quam profani, illius procul dubio meminissent. Nec dubium, quin *Chrestus* vel *Christus*, sive *Messiae doctrina* turbaverit Judaeos Romae viventes, cum nullum dubium sit, & res ipsa loquatur, Judaeos inter sese disputasse, & ita tumultuatos esse, devenisse ad jurgia & forte verbera aliis affirmantibus I. N. I. C. Messiam esse, quem Judaei tunc maxime temporis, expectabant, aliis negantibus. Quod si Chrestus ille alius fuisset a Christo, & sese pro Messia tulisset, utique concitasset Judaeos non Romae, sed in ipsa Judaea. *Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*, illud *assidue* mihi vim suam habere videtur, & significare Judaeos quotidie, in synagogis maxime, ea de re disputasse, nec puto ita locutum fuisse Svetonium, si rebellassent, & auctore Chresto quodam sese liberare instituissent, ab Imperii Romani jugo, & eo casu Claudius eos non expulisset Roma, sed delevisset, dedissetque internecioni non modo Romae viventes, verum etiam in Judaea, imo & Asia, ubi magnus numerus omnium Tribuum vivebat ἐν διασπορᾷ. Quin & multi Judaeorum absque dubio Christo nomen dederant, &

& inde natæ contentiones & lites illæ, quales & alibi poſt mortem Domini noſtri eveniſſe haud obſcure ex Actis patet, adeo, ut eo ſenſu etiam Chriſtiani per *Judæos* deſignari poſſint, id quod Lipſius putat, & recte adnotat Donatus, Svetonium non loqui de perſona Chriſti, ſed de Doctrina per Apoſtolos deſignata, ſed quod addit, in marmoribus etiam antiquis pluries Chriſti nomen obſervari inſcriptum, & inde apparere inter nomina Romana illud fuiſſe, plane erroneum eſt, uti vel ipſe vides, & patet ex iis, niſi me plane fallo, quæ antea tecum communicavi. *Chreſtus* igitur Svetonii mihi eſt *Chriſtus*, cujus doctrina in diverſas partes trahebat Judæos & proſelytos, atque adeo ipſos, qui ex gentibus Chriſto nomen dederant, qui procul dubio etiam Judæis ſeſe opponebant, & cum Græci gentilesque vocabant Dominum noſtrum *Chreſtum*, nomine ipſis uſitato, ſectatores ejus Chriſtianos vocare potuit poſtea Svetonius, quia illud magis magisque poſt epocham nominis illius Antiochenam innoteſcebat, nugas autem agit Donatus, cum *Chriſti* nomen in marmoribus legi, illudque Romanum eſſe annotat. Docui enim antea *Chriſtum* in Inſcriptionibus idem eſſe, quod Græcum *χρῆστον*, vel *Chreſtum*, & res ipſa loquitur, iſtud Romanum eſſe nullo modo poſſe.

Non dubito, quin Monogramma ☧ in nummo Ptolemæi legatur, teſtantibus id tot eruditis; quanquam & ego optarem tandem oculis & ma-

nibus

nibus tractare ut possem. Quod scribis, te meminisse in nummis C. Valerii Flacci, C. Flavii Fimbriæ, M. Cornelii Cethegi in Fastis Golzii simile offendisse, nimirum sub labaro H vel Π, ego profecto miror, cum nihil simile inter monogramma Christi & literas illas singulares. In numo gentis Valeriæ prima litera denotat *Hastatos* & in posteriore Π vel P, *Principes*, uti puto recte has siglas explicari a viris eruditis, & quia inscriptæ sunt vexillis vel labaris, recte statui potest corpora illa sua sibi signa habuisse; in alio Flaviæ Gentis, nihil aliud reperio, quam C. Flavius T. F. & in altera area Fimbria & in tertio Corneliæ EX. S. C. quanquam in hisce binis etiam Aquila & duo alia signa militaria occurrant. Atque hinc facile vides, nihil hosce nummos ad rem, quam agimus, pertinere. Errant autem largiter illi, qui tradunt Constant. Magnum suis nummis Christi, non secus ac suam imaginem vel πρoτομὴν indidisse, inter quos est Joh. Damasc. in Synodica ad Theoph. epistula ubi illam χαρακτῆρα appellat, quomodo eadem vox apud Auct. Chron. Alexandri explicante Reinesio p. 282. variar lect. & apud auctorem vitæ Stephani Junioris p. 498. apud Cotelerium tom. 4. monum. Ecclesiæ Græcæ occurrit. Et vide, sodes, quæ hoc de argumento notavi p. 290. ad Lactant. de Mort. persecut. p. 240. quam observationem multis profecto augere possem, & alios viros eruditos, qui similia fabulantur, erroris con-

convincere, Phil. nempe Bonannum, Henelium, Iſaacum Ambroſium, Corn. Curtium & Judæum Rabbi Abeneſram, ſed hoc foret patientia tua abuti.

Si Judicum liber ſcriptus eſt ante Regem Iſraelitarum Saulum, utique ex eo commodum argumentum duci poteſt ad probandum Reges orientis illiusve tractus antea unctos fuiſſe, qua in re diſputant Theologi & Philologi, noſtique præclara eruditione viros exiſtimare illud *Ungere* metaphoricam locutionem eſſe, & nihil aliud denotare, quam *creare*, Deumque Cyrum appellare *unctum ſuum*, non quia Perſarum Reges ita inaugurabantur, ſed quia Deus eum Regem fecerat & conſtituerat ad populum Iſraeliticum dimittendum e captivitate; Editio Septuagintaviralis Londinenſis, qua utor, ſic habet καὶ ἐπορεύθησαν καὶ ἐβασίλευσαν τὸν Αβιμέλεχ—non addita voce χρίσαι, quam nec in variis Lectionibus invenio, nec in Hexaplis Originis editis nuper a Montfauconio, qui ea mihi donum miſit, quo nomine non ſolum plurimum illi debeo, verum etiam me effero, & magnum mihi honorem a viro egregiæ famæ & doctrinæ habitum eſſe, agnoſco libens lubens. Neque tamen dubito, quin verbum χρίσαι inveneris in aliis editionibus, maxime, cum illud legatur v. 8. Πορευόμενα ἐπορεύθη τὰ ξύλα τοῦ χρίσαι ἐφ' ἑαυτὰ βασιλέα; & notat Salmuthus ad Res memorabiles Pancirolli, morem illum ad alias gentes poſtea quoque dimanaſſe,

nasse, adeo, ut videatur credere apud Israelitas hoc primum observatum fuisse. Quod autem Ulyssem primolotum reducem, & postea oleo unctum, ex Homero adducit, male profecto factum est, quippe quod exemplum nequaquam huc quadrat; velimque mihi *gentes* dari, apud quas olim *Unctio in Reges* fuerit usitata; ego illas ignoro, exceptis iis quæ hodie, uti notum, ritum illum observant. *Monarchas* tamen *majores*, non *Regulos* loqueris; sed mirum mihi plane videtur, nec Herodotum, nec Diodorum, aliosve veteres, tale quid scripsisse de Persarum Ægyptiorumque Regibus, & ego nullum, præter Israelitas Regem invenio, quam Damascenum, qui solus extraneorum jussu Dei a Propheta in Regem unctus est. Specimen tuum IX. mihi non displicet, & video te brevi quasi in tabella exhibere multas Divini Codicis editiones, & versiones, magnamque ejuscemodi lucubrationibus facilitatem τοῖς πεπηδευμένοις afferri, certum utique est. Et inde fit, ut te horter & admoneam, ut eadem via pergere velis, & ita auxiliari iis, quibus parum tempori superest ad omnes illos autores consulendos &c. &c. Sed mihi finiendum esse video, & inde est, quod te valere, hilariterque agere jubeam. Vale Davent. ipsis Nonis Maji 1714.

EPIST.

Epistola XII.

Clarissimo Celeberrimoque Viro Zach. Gœzio

S. D.

GISB. CUPERUS.

Longam satis ad te epistulam dedi ipsis Nonis Maji anni elapsi atque in ea egi de Chresto, Christo, Christianis Judæisque Romæ tumultuantibus, nec non de Regum unctione. Et quanquam videar satis clara luce materias illas perfudisse, tamen desidero adhuc valde legere judicium tuum, quod, cum adeptus non sim, & ita antiquum non obtineas, metus me cepit tibi non satis bene esse, id quod, ut spero, avertet auferetque Deus noster quem serio veneror, uti te faciat transmittere annum, quem ingressi sumus hilariter & feliciter.

Binæ autem mihi insuper rationes sunt te conveniendi & compellandi verbis amicis. Tubingæ docuit *Joh. Nicolai*, insignis editione pulchrorum & eruditorum libellorum. Dedi ad eundem literas ipsis Cal. Augusti anni 1711. nec dubito, quin pervenerint in manus viri eruditi, imprimis cum illas commiserim fidei & diligentiæ Illustris Baronis & Consiliarii nunc Cæsarei, Leibnizii. Et cum egerim de Torquibus in quem celeberrimi Schefferi libellum notas haud protritas conscripsit, monuerimque nonnulla haud

contemnenda, persvasum habeo, illum me dignaturum responso, nisi ultimum valere dixerit rebus humanis, maxime, cum certus factus fuerim, virum grandævum esse, sed tamen illud Solonis ipsi optime convenire Αιεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. Agebam etiam gratias, quod nomen meum illis notis, & aliis libris inseruisset & laudasset qualemcunque meam eruditionem. Quare te etiam atque etiam rogo, ut mihi, quod commode fiat, significare velis, quo loco sit valetudo viri eximii, & an adhuc nobis superstes sit, quibusque materiis elegantibus eruditas admoveat manus. Cupio etiam cognosere, quis sit Joannes Schultzius, qui edidit Florum sparsionem ad loca quædam in Re literaria controversa anno 1707. Honorificam mei subinde facit mentionem, quo nomine me plurimum ei debere confiteor, monuitque nonnulla de significatione verbi πράττειν, quæ digna sunt, ut examinentur, & quorum nonnulla mihi etiam postea sunt observata, uti patebit aliquando ex secunda mearum observationum editione, diu ante quam Florum illa sparsio in manus meas perveniret. Sed quod p. 124. conjecturatur in nummo Neronis ex NEIK. fieri debere NEIKHA & interpretatur Honorem Heroibus tribui solitum, nequaquam ego probare possum: Neque enim *mortualia* huc pertinent ullo modo, deinde illa non appellantur Νεικήα sed Νεκύια vel Νεκήα, uti non modo patet ex Homero, verum etiam Cic. ep. 17.

l. 9.

l. 9. ad Atticum (*est ep. 12. edit. Rob. Stephani*) Quod si virum eruditum cognoscerem, eundem convenirem, doceremque placide, vel properatiorem, vel distractum animum ipsi imposuisse, cum multa, quæ hic notantur, limam critices pati non possint &c. &c. &c.

Sed nolo vel meo, vel tuo otio abuti. Laudat p. 151. Specimina Philologica Jacobi Battierii, additque, illum promisisse Homerum cum membranis collatum. Doce me quæso, quis hic sit vir eruditus, quando specimina illa edita, & an Homerus iste lucem adspexerit publicam. P. 101. invenio Inscriptionem veterem petitam ex Musis Lapidariis Ferretii, quamque etiam edidit Gruterus p. M.CXL. cujus occasione, nescio quæ commentetur de voce Augere; absque dubio Augendus est *Visellii* cognomen, quo nomine & illud habet Gruterus

VISELLIVS AUGENDUS SOL
DEVOTE
D. M. P.

i. e. *soli, vel solus devote defunctæ monumentum possit*; amplecterer que *Soli*, quia ita τὸ *Sol* explicat Ursatus; & non satis caute puto Scaligerum inde facere agnomen in Indice, ita ut hic vir dictus fuerit Visellius Agendus Sol; id quod mihi non placet. &c. Vale plurimum, Daventriæ a. d. III. Kal. Febr. MDCCXV.

Ego ante paucas Septimanas ad binas has ultimas, aliquid tranquillitatis nactus, respondi & post alia firmioribus denuo rationibus, demonstravi, cur Svetonii Chrestus noster Christus esse non possit; num Vir hic Illustris pluribus suam sit defensurus sententiam, N. L.

EPISTOLA XIII.

Vir Prænobilissime &c.

CUm sanitate pristina nondum in gratiam redii. Interea sine intermissione labores academicos continuare cogor &c. &c. Ectypum illum Cuperi per omnes etiam chartulas quæsitum, invenire non potui. Nec ex solo ectypo judicare soleo, cum ex ipso monetæ genere, formæ crassitie, ruditate vel elegantia plurima sæpe observaverim. Equus ille etiam in Gothicis monetis cernitur, & literæ forte sunt Gothicæ. Quid si Africanus esset nummus a Gothicis distinctus? De argento, quod ex ferro productum est, quæ scribis, æstumanda sunt, si artem spectas, an vero magnum commodum inde in Dominos redundare possit valde dubito, nisi successu temporis majora adhibeantur compendia. Curiosa tua lapidaria accepi magno cum gaudio. Quamvis enim similia ex vicino quodam agro possideam, ex diversis tamen regionibus ea colligere soleo, an tandem ad causas formatrices eo melius venire

venire possim. Si ergo in vestris terris usque vicinis plures haberi possunt tales naturæ lusus, rem mihi facies gratissimam si perrexeris eorum aliquam partem mecum communicare. Vale & fave &c. P. N. T. sincerus æstumator J. A. SCHMIDIUS. Helmstad. d. 6. Febr. 1712.

EPISTOLA XIV.

Vir Clarissime, Doctissime &c.

LIteræ tuæ amicissimæ mihi traditæ sunt Coloniæ, ubi usque in hanc septimanam hæsi in conventu circuli Westphalici; domum inde reversus inveni alterum munus, doctissimas tuas dissertationes. Gratias pro eo habeo maximas, & pro honorifica mei ultra meritum mentione, ut & pro communicatione ponderis argenti Thasiorum. Sed quod æreus Augusti scribitur pondere $2\frac{1}{2}$ quintlein minus, as, vel 19. asen, in eo puto esse pennæ lapsum, & nummum minorem n. 1. multo graviorem. Si libuerit iterum appendere æreum illum æris rubri n. 1. ut & alium majorem n. 2. quem puto æris flavi esse, ut & argenteum tuum Massiliensem, & alium in dissert. 1. §. 10. & mihi pondus eorum rescribere, res mihi erit gratissima. Nam argenteus cum inscriptione ΜΑΣΣΑ. est Massiliensium, cui fere similes exhibuerunt nobis Goltzius in M. Græcia tab. 37. & Antiquarius nostri Electoris Brandenburgici mihi amicissimus D. Begerus, in Thesauro suo Palatino, p.

184. quod autem in illo nummo visum est ΤΤΑ sine dubio fuit ΑΙΗΤΩΝ, uti in aliis nummis apud præfatos autores; Litera A mihi creditur esse præfecti rei monetariæ, quæ etiam apparet in uno argenteo Goltzii cujus loco in aliis est Κ. Γ. Π. Α. Φ. & in dicto Thesauro H. B. In æreis Augusti legitur post ejus consecrationem DIVUS AUGUSTUS PATER, quod Tiberius successor se scriberet DIVI AUG. F., & non puto in eo aliud quid latere, quod aliis impeditus breviter rescribere debui qui sum, Vir Clariss. & doctissime Tui observantissimus Joh. Hinsen Wesaliæ 16/5 Julii 1695.

Meine Arbeit in dieser curiosität ist in beygehendem Titulo zu sehen/ wobey ich Elenchum capitum libri primi habe schreiben lassen/ dazu könte vielleicht in etwa dienen ex differt. 3. §. 14. Argenteus Thasiorum index §. 20. ærei Augustinum. 1. & 2.

Res nummaria antiqua qua talis

In materia, pondere, proportione, nomine, pretio & numeratione eorumque mutatione observata cum cujuscunque generis nummis in sua magnitudine expressis a Joh. Hinsen Vesal Clivenss. Lib. 1. de nummorum Origine & materia & de nummis antiquis apud Judæos usitatis, ut & Africanis, Asiaticis, Græcis, Siculis aliisque Europæis, & præcipue Romanis. Lib. 2. De nummis antiquis, Germanorum, Gothorum, Francorum, aliorumque usque ad tempus præsens.

Elenchus

Elenchus capitum libri primi. Cap. I. de numorum Origine. C. II. de primis rei nummariæ ponderibus, talentis, minis, drachmis, aliisque. III. De auro, argento, ære, eorumque proportione. IV. De nummis antiquis ſine inſcriptione literarum. V. De nummis antiquis apud Judæos uſitatis. VI. De antiquis nummis Africæ. VII. De nummis antiquis Aſiæ. VIII. De nummis antiquis Europæ in Græcia. IX. De nummis antiquis Siciliæ. X. De nummis magnæ Græciæ vel Italiæ aliarumque partium Europæ extra Romam. XI. De primis nummis Romanorum & de æreis naſcentis & florentis Imperii. XII. De ſeſtertiis Romanis florentis Imperii. XIII. De nummis antiquis argenteis Romanorum, Imperii florentis. XIV. De nummis antiquis aureis Romanorum florentis Imperii. XV. De aureis Romanis labentis Imperii XVI. De argenteis Romanis labentis Imperii. XVII. De nummis æreis labentis Imperii. XVIII. De follibus, miliariſiis &c. XIX. De jure cudendi monetas apud Romanos.

EPISTOLA XV.

JAC. PERIZONIUS

DOctiſſimum Gœzium plurimum verbis meis ſalvere jubeas rogo. Diſſertationes ejus, quas vidi cum voluptate, perluſtravi; & varia eruditione excultas, offendi. Credo virum Optimum in remoto iſthoc Weſtphaliæ angulo melioribus claſſicorum

Auctorum editionibus destitui. Nam quod scribit Anchariam a Glandorpio aliisque antiquariis Ancharinam vocari, verum haud dubie, cum libros eorum nunc non inspexi; sed decepti illi sunt pristinis editionibus, sed quæ in propriis maxime nominibus corruptissimæ ab eruditis Criticis ex antiquissimis MSCtis jam maximam partem sunt purgatæ. Et erat hoc nomen gentilicium, quo fœminæ ante tempora Augusti appellari solebant, nam post tempora Augusti habemus demum Agrippinas, Messalinas &c. Vale in Bat. a. d. VIII. Kal. Nov. cIↄ Iↄc XCVI.

EPISTOLA XVI.

Vir Nobilissime &c.

HUmanitas est tua, quam litteræ præferunt, quibus me salutas, quas non ea solum ratione habui acceptas, quod a Te profectæ, sed quod ab eo, quem & editæ dissertationes eruditæ, & discipulorum probati mores jam dudum dedere cognitum. Plures enim ex tuis, quos formasti, a primo statim tempore mea occuparunt subsellia, alii quoque mihi extiterunt familiares, ut Te per litteras nunc nosse res fuerit gratissima. Quas etiam addere placuit dissertationes Tuæ debeo humanitati &c. Optime placet Thasiorum nummus cujus primam faciem rectius Baccho attribuis, quam regi ἀνωνύμῳ cum in insularum nummis

mis, si Impp. Romanos excipias, vix conspiciantur reges. Coronam vero ejus capiti impositam hederaceam potius putem, Baccho attribui alias solitam, uti vel ex ipsa inspectione nummi ejusdemque cum aliis collatione patet. Conspicitur autem Hercules in nummis Thasiorum sæpius cum in ea præsertim insula divinitus coli, indeque Θάσιον Ἡρακλῆ adpellari tradat Pausanias Eliae post. p. 188. Talem autem faciei cornutæ figuram nunquam me animadvertisse memini, si modo recte expressa, cum Baccho alias arietina vel hircina attribuantur cornua. Ottonem æneum, de quo agis, Sagitarii olim, possidet Bibliotheca, cui cum aliis Bosianis ipsaque bibliotheca Sagitariana, ex legato cessit, non Schmidio. Notas quidem antiquitatis habet, inter rariores tamen Ottones æneos non reputandus cum latinos hodienum reperire liceat varios; Græci vero in honorem Ottonis ex ære cusi, perrari sunt, nec reperiuntur ubique. Manuscriptum, quod possides, sane egregium est, atque inter cimelia non minima reponendum, maxime cum tanta cura fuerit ornatum. Cum vero anno superioris seculi XXVI. hunc elaboratum codicem scribas, potius ex Chytræo pleraque esse depromta crediderim, cum Nathan Chytræus jam anno 1598. fuerit demortuus, ejusque deliciarum prima editio Herbornæ prodierit 1594. altera 1606. Nec facile credendum, Chytræum Palatinum ex tuo MSto quidquam hausisse. Conjector itaque Au-

torem tuum ex Chytræo excerpſiſſe aliqua, quibus dein varia, quæ ipſe inter peregrinandum obſervaverat addiderit, &c. Inſcriptio crucis Bremenſis mihi videtur perquam antiqua, quantum ex literis judicare licet. Arguunt vero iſtæ ſculptoris in ſcribendo ignorantiam, quam etiam in Romanorum Inſcriptionibus ſæpius obſervare licet, in quibus vel litteræ ſejunctæ, vel non rite expreſſæ viſuntur, de quo dixi alias in Bibliotheca numiſmatum p. 235. Vale, dabam Jenæ V. Idus Octobris CIↃ IↃCCI. Tibi quibuslibet officiis devinctiſſimus BURCARD GOTTHELFF STRUVE.

EPISTOLA XVII.

Vir Prænobiliſſime, Fautor æſtumatiſſime.

QUæ de nummis nuper propoſuiſti dubia, paulisper penſitavi, & licet nec ipſe Oedipus ſim, dicam tamen, quid mihi videatur. De nummo aureo, quem exhibuiſti, omnino mihi videtur, Gothicum eſſe, ſed ad figuram nummi Romani gentis Titiæ efformatum. Equus quidem alatus Titiæ gentis commune eſt ſignum; Aſt, cum figuræ, ut ſcribis, admodum ſint informes, Romanis hoc convenire, minime putem. Apud Gothos autem Theodorici potiſſimum Oſtrogothorum Regis temporibus, non infrequens fuit Romanorum nummorum typos efformare. Vidi eorundem nonnullos, præ cæteris, nummum illum in honorem C. & L. Cæſaris a Romanis

nis cusum, a Gothis denuo efformatum, quod figuræ adhuc informes, satis produnt. De monstro illo alato conjectura est, an non forsan figura repræsentet Saturni. Movet me locus Alexandri ab Alexandro, qui Genialium dierum lib. IV. c. XII. dicit, apud Ægyptios & Phœnices in usu fuisse, ut singulis diis, singulas alas adderent, Saturno vero quatuor, duas protentas, duas vero remissas. Forsan hæc plenius inquirendi dabitur occasio. Vale interim & fave, Scribebam Jenæ prid. Cal. Septembr. cIↄ Iↄ CCIV. Tibi Vir N. studio & officio devinctissimus BURCARD GOTTHELFF STRUVE.

Epistola XIIX.

Vir Præclarissime &c.

GRatia sit Nobiliss. Dn. Wasserbachio nostro, quod acceptissimarum Tuarum Id. Sept. superioris Anni ad me datarum, sed non nisi præterito Mense Hujus exibitarum Literarum dederit occasionem. At enim vero, cum scribis, Varum Te, quem Virgilius & Horatius lib. 1. Ode 24. lacrumant, Eundem fuisse cum Eo, qui in Westphalia succubuit, non posse non Tibi persvadere, idque alia vice pluribus docturum; ego nullus dubito, Te cogitationes tales, (quales etiam Sleidanum in de 4. Summ. Imperiis & Gassendum in vita Epicuri fovisse scis) mutaturum

rum, ſi ea legeris, quæ Lævinus Torrentius ad cantionem iſtam & poſt eum Tan. Faber Epiſt. 46. ad Eliam Boherellum, notarunt; ad Hos itaque Te, ne pruritu obloquendi Tibi me laborare putes, remitto.

Quæ vero de fictitio Cai. I. P. M. refers, non tantum imperitiam Falſarii, ſed & avaritiam indicant; Want' 'tis all omt Geld' ok ſelfs het geld ommt geld gebeldt. Ejusdem iſtud luti, ſed majoris impudentiæ firmat, quam Anton Auguſtinus Dial. XI. antiq. narrat, hiſtoria Impoſtorum, qui nummum cuderant, hinc Neronis caput cum ſolitis titulis, in averſa autem parte S. Petri faciem, qualis in plumbeis Bullarum ac Diplomatum Pontificiorum ſpectatur, repræſentantem, adſcriptumque erat, **Petrus Galilæus**, addebant, repertum nummum juxta S. Petri ſacellum S. Silveſtro ſacrum. Hoc amplius: Pontificem S. Petro perſimilem eſſe, aſſerebant, quem ingenti pretio Paulo IV. Pontifici obtruſerunt. Vale Fautor honoratiſſime, & Rempl. literariam doctis Tuis ſcriptis porro orna feliciter. Interim, ſi tardius parciusque reſpondeo, imputa iſtud Parcæ curſivetanti Filiæ, qua cum per ſeptimanas aliquas non minimum ſvaviter diſcubui; Inpoſterum ſi quæ a mea tenuitate proficiſci poſſunt Tibi grata, ero ſemper TT. JOH. HENR. EGGELING. Bremæ VII. Cal. Martii cIↄ DCCV.

Ubi nummum triumphalem Germanici, **Cæſ. Signis Recept.** referente Dn. Waſſerbachio N.

in

in Dissertationibus Tuis explicaveris, indica quæso, num in iis, quos ego possideo, tale quid non occurrit. Gratias ago pro earum postremo munere, rogans, ut sequentium etiam participem me facias, offerensque contra, si quid ex meis desideretur, lubentissime.

EPISTOLA XIX.

Vir Præclarissime &c.

EX gratissimo, quod nuper ad me dedisti responso, video de Varo Te etiam dum teneri suspensum, quare permittes, ut Te certiorem faciam; sin minus, meam saltem prodam opinionem: P. QUINTIL. VARUM IIVIRUM a Domino Wasserbachio exhibitum, nec esse Criticum illum ab Horatio deploratum, nec Ducem illum in Saltu Teutoburgensi occisum; Iste Duum Vir audit, scil. Coloniæ alicujus, quæ, ut ignota, ita contra notum est, non nisi veteranos & emeritos milites in colonias ductos, ubi sacro sanctam habere vacationem dicebantur; non itaque verisimile est, Augustum Coloniæ Duum-viro, ætate confecta, Germaniæ Cis-rhenanæ, Exercitusque maximi & fortissimi gubernationem voluisse concredere, multo vero probabilius, eam Ex-Præsidi Syriæ commendasse. Ob hujus tamen, dolo Arminii cum tribus legionibus interfecti, mortem, nec est, ut cum Gassendo, in de vita Epicuri lib. 2. p. 72. dicamus, Horatium consolari Virgilium,

l. 1.

l. 1. Od. 24. nisi apertum velimus committere ἀναχρονισμὸν; ex Dione enim periisse Varus anno Augusti imp. 52. C. Poppæo & Q. Sulpitio Coss. anno VC. DCCLXI. videtur; dein scriptum est hoc Poema ad Virgilium; at Virgilius obiit sub Consulatu Caii Sentii Saturnini, ut a Svetonio proditum, quod incidit in A. V. DCCXXXIV. Horatius vero etiam, ut idem asserit Svetonius, mortuus, sub Coss. M. Censorino & Asinio Gallo; ambo itaque diu jam ante Varianam cladem in vivis esse desierant, quamobrem alium Quintilium fuisse, necesse est, quem deplorat Venusinus, & Eum quidem, ut arbitror, de quo Eusebius Olympiade CLXXXI. (cujus initium incidit in AVC. DCCXXIX. sub Consulatu Augusti X. quo tempore Horatius natus erat annos XLII.) *Quinctilius Cremoniensis Virgilii & Horatii familiaris moritur.* Insuper varios invenio Augusti tempore Varos, ut apud Fulv. Ursinum in Familia Quintilia. Q. C. VARUM. RUF. IIVIR; apud Mediobarbum C. VAARUM IIVIR P. QUIN. VARUM II. P. QUINTIL. SEX. F. VARUM III. A. A. A. F. F. qui postremus hic, dum se SEXTI appellat filium, satis indicat, tunc temporis plures exstitisse agnominis VARI ad dictam Familiam QUINTILIAM spectantis. Ignoscas vero Eruditissime Dn. Gœzi, quod his patientiam Tuam fortassis onerem, nolui Amicum diutius animi pendere. Ceterum ex Dissert. T. secunda Dec. secundae cum singulari animi voluptate

luptate perspexi; Te in familiaritatem venisse Generosissimi antiquitatis præprimis numariæ Amatorum Paris; Vellem ego Vobiscum esse! Non ambigo, quin exiguo temporis spatio, meam circa distinguenda æra ab Lupinis, quadraginta & quod excurrit, annorum experientia acquisitam cognitionem, Vobis cum fructu communicarem. Hæc etenim licet haud pauci de ea regulas & institutiones præscribere conati sint, non tamen, nisi per ἀυτοψίαν, comparatur. Ea propter videor mihi suspicionis quodam odore persentiscere, in seriebus illis nummorum, quas G. D. N. dela Falloize & Generosiss. Dn. de Luning. possident, non omnes, præsertim Othones, Pertinaces, Pescennios nigros, Albinos Diadumenianos, Gordianos Afr. &c. &c. (ut de Uxoribus Augg. sileam) indubitatæ esse veritatis; in Hujus ad Te literis observavi ibidem nonnulla, de quibus alio tempore disserendi erit occasio; jam enim epistolaris brevitas istud non permittit: Interim haud Amborum, ut spero ingratiis, amoribus vestris heic junxi satellitium Catalogorum, tam Librorum, quam Numismatum antiquorum rarissimorum; accipite istud lubentes, & si quid a me vestris studiis conducibile proficisci posse putatis, id exposcite libere a Vestro EGGELINGIO.

Wasserbachio Nostro salutem. Quid illum impediat, quod nihil ad ultimas meas responderat, non possum hariolari. Bremæ XVI. Cal. Maji CIↃ IↃCCV.

EPIST.

EPITSOLA XX.

Post alia:

FIgura aquilam ſiniſtra tenens, nudam extendit dextram pacificatoriam, jubentem Populum Romanum *devictis* jam Germanis ſecurum vivere; quemadmodum & ipſe uni tantum innititur pedi otiante altero; interim fieri potuit, ut illiteratus pictor in Nummo, dentibus ævi vitiato, videre ſibi viſus ſit, quod ibidem nunquam fuit.

Ad caput HARMINII CHERUSC: Ducis quod ſpectat, fictum illud utique eſt. Quis enim quæſo Auguſti aut Tiberii ævo cudere voluiſſet? Profecto non Romani; Siquidem iſti more quidem ſuo non aliter ac vinctos ligatosque devictos ſuos hoſtes ſiſtere ſolebant; Nec cives ejus, utpote cum illo tempore Cheruſcis præcipue & Cattis nec de formis (Stempeln) nec de nummis conſtaret quicquam, & poſt Caroli M. tempora in Saxonia demum primi apud Germanos cuſi ſint nummi. Et fac cives Arminii artis monetariæ non penitus ignaros fuiſſe, non tamen mihi perſvadere poſſum in gratiam ejus numisma hoc finxiſſe, nam ob Dominatum cui inhiabat, ipſis adeo inviſus erat, ut tandem, referente Tacito l. 2. Annal ſ. f. *petitus armis, dolo propinquorum ceciderit.* Nec minus ſuſpecta mihi barba, ſuſpecti capilli. De Svevis Tacitus in de M. G. c. 38. act: *inſigne Gentis obliquare crinem, Nodoque ſuffringere,*

suffringere, sic Svevi a ceteris Germanis separantur. Et quid tandem barba illa immanis, (die ungeheure Moustache) quam etiam in gremio Matris formidet rusticus infans? Non Cattorum aut Cheruscorum, Sed Britannorum est, quos Cæsar l. 5. de B. Gall. refert, solitos fuisse, ut aspectu horridiores essent in pugna, capillos & barbam radere, præter labrum superius; Quemadmodum etiam Pontanus l. 6. de Origin. Fanc. 18. Carm. 5. v. 242. idem fere narrat de antiquis Francis, licet hi tam longis flagellis horribiles non fuerint, teste Sidonio, qui de iis ita:

—Vultibus undique rasis
Pro barba tenues perarantur pectine Cristæ.

Et Tacitus l. sc. de Cattis: *Apud Cattos rara & privata cujusque audentia in Consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum* &c. Sed missis reliquis, ad uncialem me converto Hassiacum, in cujus una area hæc leguntur PHILIP D. G. LANDG. HASSIÆ. C. K. d. 3. N. A. 1552. FIER. F. in altera vero, BESS. LAND. V. LUD. V. LOORN. ALS. EN: FALSCH AID: GESCHWORN P. S. E. D. S. quod est, Parcere Subjectis Et Debellare Superbos, prout quidem hæc ultima in unciali ab hoc ipso Principe, & Electore Joh. Frid. Saxone cuso plenius leguntur; Interim nummum hunc uncialem thalerum

 non

non appello, quoniam non publica autoritate, ſed privato genio in lucem prodiit, quemadmodum multoties de hoc edoctus ſum. Noſtra ætate in conſpectum prodierunt noſtrum ſic dicti thaleri Landgravii Philippi Haſſiaci iſti. Tales circumferuntur hodie paſſim, & propter raritatem cum centum aliis permutantur. De eorum origine hactenus multi inquiſiverunt, num ante, aut poſt, Principis captivitatem cuſi ſint. Cum vero nec in hiſtoria, nec in monetarum libris ullum eorum exſtet veſtigium, quid? quod nequidem in nummophylacio Caſſellano ipſe nummus, multo minus ibidem forma (der Stempel) reperiatur, illi merito omnem derogamus fidem. Sunt, qui referunt, mercatorem quendam Rigenſem primum talium triginta fieri feciſſe, qui, cum curioſis avidiſſime arrepti fuiſſent, Judæos Pragenſes turpis lucri cupidiſſimos idem conatos fuiſſe, quod procul dubio poſtea ſecuti ſunt aurifabri. Illi, quos ego vidi, ſatis ſuperque produnt, ſe non eſſe ſeculi XVI. Plura de his ſi deſideras, vide Annonymum in fine lucubrationis de veteris Numismatis potentia & qualitate 1701. Lipſ. & Frf. Quibus Vale.

Tui Off. JOH. HENR. EGGELING.

Bremæ d. 19. Mart. 1704.

EPIST.

EPISTOLA XXI.

Salutem a salutari.

Vir Præcell. &c.

Literis ignoſcas ignotis; Studia Rei nummariæ antiquæ magni æſtimo, eademque jugiter ipſe colo. Qamvis Ἔϱγον Theologicum maximam dierum partem ſibi vendicet ex æquo, meditationibus tamen & ſcrutationibus fere quotidie, (non dicam ſingulis horis) non parum in re nummaria vacare ſoleo &c. &c. Colloquio itaque deſtitutus, e longinquo tuam N. expeto peritiam, id quod fieri poterit, tuas, ſi Diſſertationes jam jam editas, (quas vidi non ſine delectatione, fructuque eximio) cui labori ex alto Deus benedicat! crebrioresque literas ad me mittere, non dedignaberis. Sed liceat mihi quædam proferre de obſervato Auguſti nummo, quem in Diſſert. II. da---vidi delineatum, cujus averſa facies Templum Romæ & Auguſto dicatum, cum duabus victoriolis, quæ inſiſtunt, dextra ſertum, ſiniſtra palmam, tenentes. Ipſe poſſideo hunc nummum, eumque ærugine quadantenus corroſum adhibito alio, quem Excell. D. Wedelius aſſervat, explicavi. Mediobarbus quoque in Occone aucto p. 36. 37. eum deſcribit eod. modo, ipſumque A. V. C. 741. A. N. C. 12. cuſum ac forſitan ad Dedicationem Theatri Marcelli referendum, putat. Ejusmodi figuram præſentat Tiberii numiſma (qualis etiam in mea arcula ex-

tat æneus) qua de re Patin. Thesl.p .139. Oisel. tab. 52. n. 8. 9. aliique plures egregie agunt. Alium retineo nummum **Augusti** in quo revera extat **Ara**, qui post obitum **Augusti** in memoriam Consecrationis & honorem Providentiæ, qua Augustus Imperium Romanum stabiliverat, teste Oisel. Tab. 61. n. 3. dicitur sculptus. Quod reliquum est, de felici & arduo nobilissimæ rei nummariæ antiquæ studio, sincere gratulor, augeantur deliciæ tuæ ipsi nummi, augeat & Deus vires tuas atque labores, eo citius tuæ Dissertationes promissæ ut prodeant in lucem. Exiguus sane eorum est numerus, quibus studiis hisce ardenter & rite incumbere volupe est. Ignoti nulla cupido. Jenæ quosdam invenies, licet paucos, ex quibus nuperrime Wedelius & Schmidius quædam de re nummaria conscripsere lectu jucunda, quæ hac occasione Tibi addita mea qualicunque Epistola de numo Contourniato M. Aurelii Antonini mittere volui. Vale & Fave Tuæ Præcell. addictissimo M. JOH. CHRISTOPH. OLEARIO Hall. Dabam Jenæ 5. Dembr. A. O. R. 1692.

Hic ipse Dominus Olearius in alia Germanica & quidem prolixa *Epistola A. 1698. d. 6. Jul.* Arnstadio ad me exarata, *pluribus Augusti hunc* nummum illustrat, nec non de *Massiliensium* Dissert. XVII. & Acilii IIIViri Dissert. XX. *It. de veterum Christianorum* pisciculis ex Smetii Antiquitatibus *Neomagiensibus*, *erudite differit.*

EPIST.

EPISTOLA XXII.

Celeberr. & Præstantiss. Viro Zach. Gœze

S. D.

GISB. CUPERUS.

IUre tuo uteris, si subiratus es, quod tam tarde binis litteris respondeam, quas dedisti ad me Osnabruga Cal. Martiis, & Feria III. Paschatos ultimi. Fateor enim me peccasse in amicitiam nostram, & ideo non vereor etiam veniam a te petere; quam me impetraturum ab humanitate & benevolentia tua nihil est, quod dubitem, si modo velis perpendere tecum concatenata negotia, & ipsum illud eruditum Commercium, quod imprimis diligenter excolere soleo, & quod indies magis magisque augetur; adeo, ut si quis amicus valere dicat humanis rebus, duo vel tres exoriantur novi, quibus tamen omnibus satisfaciendum est.

Sed venio ad adlocutiones tuas; Loqueris de *puero Tridentino* in ambabus tuis epistulis, atque adeo de Dissertatione, quam præstantissimo Wagenseilio, amico quondam meo, opposuisti, eam ego nunquam accepi; teneor tamen valde ejusdem desiderio, quia nisi me fallo, hæc pertinet ad Judæos, qui dicuntur nonnunquam sævitiam suam & crudelitatem occisis Christianis pueris ostendere.

Legere me olim hanc efferatam et horridam intemperiem, genti illi tributam fuisse, sed cum in agro meo sim, &, ut Romano more loquar, rusticer, ἀδύνατον equidem est in hanc materiam inquirere, cum absim per horæ spatium a Bibliotheca mea.

Præcipuum autem argumentum ultimæ epistulæ tuæ est Svetonii *Chrestus*, qui nos dividit, tuque, vir eximie, putas fuisse hominem Claudii tempore viventem, rebellem & in Romanos insurgentem; cum ego existimem hæc spectare ad CHRISTUM Sacrosanctum Servatorem nostrum, quem auctor ille cum aliis gentilibus *Chrestum* appellat, & cujus pia dogmata, atque adeo persona dividebant Judæos Romæ degentes, cum alii dicerent eum esse MESSIAM, alii vero præfracte id negarent. Disputavimus hac in re per tempus aliquod, stantibus utrisque fortiter; & quanquam optem, ut tibi accedere possem, tamen a sententia mea demoveri nequeo, & etiam nunc statuo, nullum commodum sensum nobis ex Svetonii verbis nasci posse, nisi Benedictus ille Messias noster intelligatur. Sat quidem a nobis patriæ Priamoque hic datum, & possemus commode hanc disputationem finire, tamen quia tibi visum fuit iterum in campum descendere, te non ægre laturum spero, si breviter causam meam defendam, & repellam argumenta, quibus tuam agis.

Captas

Captas primo verbum *tumultuantes*, & adjicis, *Nec bonos ac miseros Christianos assidue tumultuatos esse, sed in Cryptis, in speluncis latuisse, & sacra sua fecisse, nec Judæos Christo infensissimos, quod ignorare non poterat Svetonius, impulsos a Christo.* Certe constat utique Judæos Romæ a Christo vivo impelli non potuisse, ad arma contra Romanos paranda & sumenda, uti tu, Vir pereruditе, putabas; neque enim aliter *rebellio* procedere potest. Et cum nec Svetonius de tali motu loquatur, utique nec videtur mihi aliquis, vivus ejus causa esse potuisse. Nec mihi dubium, quin *Christus* debeat intelligi, de cujus persona & dogmatibus disceptabant & disputabant assidue, & quidem in Synagogis vel aliis conventibus. Atque ita si Aristotelis Sectatores inter sese dissentiunt, id quod utique faciunt, annon dicere possemus, *Philosophos* illos *impulsore Aristotele*, licet ante tot sæcula mortuo, *assidue tumultuari*, id quod certe magnis animorum motibus factum est quondam, cum Scholastica vigeret Philosophia.

Quid? quod idem Judæis evenerit Neronis tempore. Nam cum Paulus Romæ verba fecisset in æde conductitia ad Judæorum præcipuos, continuo Lucas Actor. C. ult. v. 25. narrat, aliquos credidisse, alios vero nequaquam *& inter sese discordes factos fuisse*; & v. 29. postquam Paulus dixisset salutem Dei ad gentiles missam esse; *Judæos abiisse veele Twistinge onder malkandre hebbende,*

hebbende, ut Belgæ vertunt hæc Græca πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοις συζήτησιν, quo indicatur certe varias Judæos & acres inter ſeſe agitaſſe quæſtiones. Id quod B. Pauli tempore factum eſt, annon fieri potuit tempore Claudii, cum Religio Chriſtiana eſſet recentior & magis attonitos redderet homines? Fuerunt tunc procul dubio Romæ etiam Judæi converſi, patetque id haud obſcure ex Pauli epiſtula ad Romanos, atque ad eorum diſputationes, & ex iis ortos tumultus referri commode poteſt id, quod reſpondent B. Apoſtolo Actorum cap. ultimo, ſeſe nullas literas, quæ ipſum ſpectent, e Judæa accepiſſe, nec quenquam fratrum, qui Romam venerant, de ipſo aliquid mali nuntiaſſe, ſed quod attinet ad ſectam hanc (Chriſtianorum) *novimus illi utique homines obloqui*, vel, ut Græca a B. Luca nobis ſunt relicta: γνωςόν ἐςιν ἡμῖν ὅτι πανταχȣ̃ ἀντιλέγεται. Atque hoc mihi firmum argumentum videtur omnino, Romæ etiam Claudii tempore inter Judæos fuiſſe de *Chriſto* diſputatum; & hic profecto uſui veniunt *homines animi ſublati & magnifice ſeſe ubique efferentes*, uti loqueris de iisdem. Nam cum expectaverint Meſſiam Regem, qui eos liberaret a Romanorum jugo, & ſubjugaret gentiles, extenderetque imperium ad ultimas terras, illi, qui increduli erant, odio, convitiis & imprecationibus cumulabant eos, qui ex Judæis *Chriſtiani* erant facti, quales ante Pauli adventum in urbe fuiſſe, extra

dubium

dubium eſt, cum quibus ſeſe opponebant Judæis Chriſtum Meſſiam non agnoſcentibus, illi, qui ex Gentilibus nomen dederant, Divino noſtro Salvatori; & inde etiam absque dubio majores motus, majores tumultus & graviores lites, atque ſimultates, quæ ubique & aſſidue in eorum conventionibus erumpebant. Nec profecto video quid *boni ac miſeri Chriſtiani* huc faciant; immiſcuerunt, ſi intelligis gentiles Chriſtianos, illi ſeſe, uti omnino veriſimile, hiſce acerbis & animoſis diſputationibus; & vix perſvaderi poſſum, illos tunc temporis latitaſſe in cryptis & ſpeluncis, ibique Sacra feciſſe. Nondum Romæ in gentem innoxiam ſæviebatur & placide ibi vivebant fideles: Chriſtumque Deum colebant; Paulus ſub ſucceſſore Claudii Nerone in conducto habitavit, Religionemque Chriſtanam omnes, qui ad eum accedebant, in publico auditorio quaſi docuit, idque per binos annos, μετὰ πάσης παῤῥησίας, ἀκωλύτως, quæ verba quietem nunciant & rejiciunt plane omne impedimentum.

Atque idem faciebat in *caſtris prætoriis*; ita enim Phil. I. 13. cum Perizonio explicari debere omnino perſvaſus ſum, ad quæ ſcil. cum cuſtode ſuo milite prætoriano ſeſe ſubinde absque dubio transferebat, vel etiam per aliquot tempus detineri potuit; & hinc etiam prædicandi publice Chriſtum tunc temporis apparet; quia v. 14. ſequitur; ita ut *plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent ſine timore*

 verbum

verbum Dei loqui &c. Non video profecto, quid exempla a te in medium adiata, Thomas Aniellus, Theudas, & maxime Torrisii Londinenses ad rem nostram faciant. Est petitio, ut in scholis loquuntur, principii; tu *Chrestum* asseveras esse *hominem seditiosum*, & qui Judæos impellebat ad excutiendum jugum Romanorum, & ita videntur aliquo modo, Theudas & Aniellus admitti posse; sed quomodo Torrisios in aciem producere queas, mihi latet, nec quidquam simile factio illa habet cum Judæis tumultuantibus Romæ. Sed ego nequaquam admitto hominem viventem tunc temporis, qui impellebat Judæos ad bellandum, & ad vindicandos sese in libertatem; nec puto unquam satis probatum iri, Judæos sibi ducem elegisse, sive aliquem sua sponte conatum fuisse eos ad rebellionem perducere.

Quid? quod Svetonius, si hæc vera forent, aliter longe hac de re fuisset loquutus, de armis, nempe de exercitu, deque aliis rebus, quas tam ardui conatus desiderant. Sed simpliciter dicit: *Judæos assidue impulsore Chresto tumultuantes*, urbe pulsos esse. Et revera *tumultuari* illi commode possunt dici, qui inter sese disputant vehementer & acerbe, id quod procul dubio hic factum est; inde convitia, odia oriuntur, & forte etiam ad verbera, imo & cædes, id quod ordinarie fieri solet, ventum fuit. Quin tandem illud *assidue* mihi firmum argu-

argumentum eſt, nequaquam aliquem, ſive *Chreſtum*, ſive alium Romæ fuiſſe, qui Judæos ad rebellandum incitaret; hoc qui occipiunt, avia petunt, cum nullo modo veriſimile, illud tentatum eſſe in urbe regnatrice, ubi imperator ipſe præſens, & munitus erat milite prætoriano, qui continuo bellum illud vel tumultum facili opera eſtinxiſſet, Claudiusque omnes, qui novis rebus ſtudebant, neci dediſſet, id quod alteris in literis etiam annotavi. Reponis: *ſerviendum erat tempori*. Sed, cur hoc Claudius facere debuiſſet, vellem equidem doceri; cum omnia Romæ quieta eſſent, nec vel Judæos non modo Romæ conſiſtentes, ſed etiam in ipſa Judæa, vel aliis terrarum tractibus habitantes metueret. Quod ſi Judæi Hieroſolymis & Palæſtina, uti poſtea factum, rebellaſſent, utique tunc & Romæ tumultuari & arma capere, duce, quoniam ita vis, Chreſto potuiſſent, ſed cum id nequaquam factum ſit, Romæque tunc Judæi quieti vixerint, inde certe argumentum duci poteſt, ſub Claudio nihil eos tentaſſe, vel Chreſtum, ſive alium miſeram gentem incitaſſe; Nec quidquam huc facit Hadriani exemplum, qui certe Judæos non omnes occidit. Nam Claudius, ſi ipſi ſerviendum fuiſſet tempori, ſique mitis eſſe debuiſſet, quia pejora metuebat, utique ſaltem neci dediſſet *Chreſtum*, *Ducem*; id quod certe ſvadebat Ratio, ut loquuntur, Status, & Securitas Imperii, id quod multis argumen-

gumentis & Historiis firmare possem; sed *politicum* nunc non ago. Hæc puto sufficere ad defendendam opinionem meam; nec diutius morabor in hoc argumento; pati possum te frui tua sententia, & tanta cum sis æquitate, non dubito, quin & mihi hoc sis concessurus, & quin ita ambo finem simus imposituri huic amicæ controversiæ.

Quod autem significas te typis Wittenbergensibus una cum XX. Dissertationibus tuis de Nummis tuæ pinacothecæ, Molani, Schmidi, Echardi &c. curasse describi literas, quas ad te dedi, non ingratum quidem id est, cum tui juris sint, & manu mea exierint; sed tamen, velim cogitasses, me literas non tam scribere, quam effundere & ita facile fieri posse, ut calamus præcurrat mentem, & ad errores, innoxios adlatrent Critici illi mordaces, quos nostra fert ætas.

Cupio tamen legere hasce tuas lucubrationes vehementer, quia fieri non potest, quin illustrandos susceperis nummos parum obvios, quales multos possidere Abbatem Molanum ex Comite de Flodrop, Vicino meo, plus semel intellexi. Rem quapropter mihi pergratam facies, si id agere velis, ut labores illos tuos, una cum *Puero Tridentino* quantocyus nanciscar.

Video præterea te agere *de unctione Regum*, & de libro Josuæ, in quo illa, & ita ante Saulum

lum & Davidem memoratur in parabola, putasque non facile πρόληψιν admitti debere in S. Scriptura; inde te transfers ad D. N. I. C. Monogramma, & ſignificas te conſtituiſſe ſermonem inſtituere publicum de tritiſſima, quæ quidem in plebejorum inſigni frequentiſſima eſt figura inde meminiſti numiſmatis Magnentii, ridesque fabulam S. Viarii quam diu etiam cognovi; hinc iterum redis ad unctionem; loqueris de variis eruditis, quos cognoſcere cupiebam, & tandem agis de Nummo Neronis & Νεκυΐα vel turba mortuorum, nec non de conatibus Nunningii Canonici Vredenſis, quem ſi cognoviſſem, cum ante annum publice eo miſſus eſſem, certe virum doctum fuiſſem adlocutus. Sed de his omnibus, ubi Bibliothecæ meæ fuero redditus.

Vivo enim, ut dixi, ruri, in villa mea modica, non injucunda; nec libri, qui mihi conſulendi ſunt ad manus; feſſusque ſum ſcribendo: Vale, vir celeberrime, & vive feliciter: In Curia Oxenſi, Den Hoff tot Oxen. a. d. VI. Id. Sept. 1715.

Tumultuantes, ut hoc addam, pereleganter & commode dixit Svetonius, quia vox illa de diſputationibus, & inde exortis litibus acerbis & vehementibus, rixisque clamoſis adhiberi ſolet. Cicero, *clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur*; adeo ut nihil neceſſe ſit, hic de bello cogitare.

Interim,



Interim, licet mihi plures Eruditiſſimorum Virorum rem numariam complectentes ſint Epiſtolæ, placet tamen huic opellæ imponere coronidem. Fruere ſingulis L. B. feliciter & ſi quædam deprehendis, quæ non ad palatum tuum, cogita, quod nec ſapientum digiti omnes ſint æquales, nec ipſe Jupiter omnibus placeat; Noli etiam vertere vitio, ſi in epiſtolis appoſitis perfructus ſim quadam gloriola. Plures omiſi, ſingulas, propter detractores quosdam malevolos, & iniquos laborum meorum cenſores, præterire nolui, non veritus virorum laudatiſſimorum ſubjungere laudem, quod placuit HECTORI NÆVIANO, quod ipſi Tullio, Ep. XII. L. V. ad F.

SOLI DEO GLORIA.



MUSEUM

MUSEUM GOEZIANUM

h. e.

Numophylacium ejus & Physio-technotameum.

UNiversi terrarum orbis musea, numophylacia & Physiotechnotamea nec vidimus huc usque, nec unquam est visura posteritas. Interim de quibusdam hic præfari non injucundum erit. De *Alphonso* Arragoniæ & Neapolit. Rege refert Anton. Panormitanus l. 6. Hist. Neap. quod antiqua numismata per universam Italiam omni studio conquisiverit, & arcula eburnea asservaverit. Quantum in Hispania ad cimeliothecam veterem contulerit *Anton Augustinus* Archi Episc. Tarraconensis, docent ejusdem Dialogi. In Italia ut olim primas tenebat incluta Domus *Mediceorum*, quam tribus millibus aureorum nummorum veterum locupletatam suo tempore Coniæus prædicat, ita & hodie SRmi *Joh. Gaston.* magni Ducis Hetruriæ Thesaurus plerisque anteponendus est. *Francisci Vitelii* Pontificis M. tunc ad Venetos legati Museum & venerandæ antiquitatis sacrarium, Romanam Græ-

camque hiſtoriam, auro, argento, ære per ſacros vultus & pares æternitati literas ſignatam, faſtorum paginas, vivasque COSS. imagines non interrupta ſeculorum ſerie nummis expreſſa, Imperatorum populum, auguſta Cæſarum ora injuria vetuſtatis nusquam victa, tot ingeniorum atque artificum miracula ſuis loculis diſpoſita, admirabatur Octavius Ferrarius A. 1641. qui & anno ſequente *Caſſiani Putei* numos, truncumque ſtatuarum populum celebrabat. Nec ſegnem in conquirendis veteribus numis neque incurioſum fuiſſe *Janum Roſencranzium* nobiliſſimum Danum, idem in epiſtolis ſuis p. m. 69. docet, ut de Reginæ *Chriſtinæ* gazis nil dicam. Sic & eodem fere tempore *Marcanova* Medicus Venetiis antiquos colligebat numos. Cimelia *Urſiniana*, numos, marmora, gemmas, lapides tabulasque cum illuſtrium virorum imaginibus, quæ Romæ non ſolum A. 1695. in f. ſed & Antwerpiæ cum commentario Joh. Fabri prodierunt A. 1685. poſſidebat *Farneſius* Parmenſium Dux. *Barberini* Cardinalis & *Menetreii* cimeliarchi Barberiniani præfecti, *Buoncampagni* Archi-Epiſcopi Bononienſis, *Bracceſii* Abbatis, *Leonis Auguſtini*, *Franciſci Godifredi* Nobilis Romani & rei numariæ peritiſſimi, *Rozini* theſauros, qui luſtrarunt, non minus, quam ii, qui templi *D. Marci*, *Æneæ Vici* Parmenſis, *Andreæ Fulvii* Præneſtini, *Thomæ Erizzi Foſcarini*, *Grimani*, *Loretani* &c. &c. quondam numophylacia inſpexerunt, laudibus

bus extollunt. Sic & *Carolus Patinus*, cujus nonsolum ANA cum supplemento multis aliis sunt præferenda, sed & Introductio ad Historiam numismatum & commentarius in antiqua monumenta eruditis admodum placet, numorum possessor locupletissimus & interpres felicissimus fuit. Musæum *Athanasii Kircheri* nuper restitutum, auctum & iconibus illustratum edidit Romæ Phil. Bonanni S. I. 1709. in f. qui licet multos admodum collegerit Romanorum Pontificum, a Martino V. qui obiit A. 1431. ad A. 1699. nummos, quos & imprimi curavit Romæ in f. quosdam tamen, quos habere ait Laurent. Beger cimeliarchium Brandenburgicum sect. 1. in Italia offendere non potuit. Et quid mirum in Italia offendi tot & tantos antiquitatis numismaticæ cumulos, cum, quod nuper relatum legimus, tota æraria castrensia eaque aurea effodiantur? Nec in Gallia antiquorum numorum, gemmarum & reliquorum cimeliorum penuria est. In ipsa Lupara, de qua non adeo ignotum esse potest geminum tetrastichon Boc:

Non orbis gentem, non urbem gens habet ullam
Urbsve domum Dominum nec domus ulla parem.

(quod qui ita invertit, CM florenorum cum donatum esse dicunt:

Par Urbi domus hæc, urbs orbi, neutra triumphis
Et belli & pacis par Ludovice tuis

Ad quæ vero nonnemo :

> Par vati versus, quia bis mentitur uterque
> Nam minor urbs orbe est & minor urbe domus.
> Si mendax vates & versus uterque triumphis
> Et belli & pacis par Ludovice tuis,

Spectandum occurrit Gazophylacium *Regium*, de quo Jobertus, cujus la science des Medailles ex gallico transtulit & latine vertit M. Christanus Juncker νυν εν αγιοις, p. m. 17. 60 & 61. ubi & *Colbertini* mentionem facit, agit. Laudato Patino *Lud. Henr. Lomenius* Brionnæ Comes labore sumtuque maximo collectam, suam cimeliothecam reliquit, ut orbi patefaceret eandem. Gazophylacium Canonicorum *S. Genovefæ* Parisiensis, unde tabellas egregias & monetam rarissimam suæ Dissertationi Carolus du Fresne addidit, pluraque numismata ephemeridibus Gallicis ad illustrandam Constantini Historiam accesserunt, denique Lud. Chadruccii (Chalucii) Dactiilotheca opusque de illa MSCtum, quod a Petro Segvino Abbate Fidemiensi adservatum, ad Genovefam velut auctuarium transiit, huc pertinet. Nec obscurum adeo aliquando erat *Sam. Veyrelii* Museum; Domini de *Ganiere*, Abaculos a Philippo IV. Valesio ad hæc usque tempora collectos, commendat *Jobertus* l. c. p. m. 19. qui ipse etiam lustravit numophylacia Domini de *Rostagli*, Episcopi de *Pamiez* & Domini de *Seves*, singula-

ſingulareque ſtudium colligendi antiquos Galliæ Regum numos Domini de *Harleii* primarii Parlamenti Regii prædicat p. 16. l. c. An ſuperſint Lugduni *Servielii* & *Sornierii* muſea, non conſtat. Angliæ gazæ & cimelia numiſmatica evolvi poſſunt tum in Actis Societatis Regiæ tum apud Cambdenum & Seldenum paſſim, nec infima erat cimeliotheca *Joh. Speeldii.* In Belgio Hiſpanico *Gariæi*, *Golzii*, *Hulſii* &c. olim viſebantur theſauri, inter quos vero ceu inter minora ſydera luna caput efferebat, cimeliotheca *Caroli* Ducis *Croyaci* & Arſchotani locupletiſſima, a Jacobo Biæo æri inciſa & ab Hemelario & Gevartio notis illuſtrata. In Belgio fœderato, & quidem Lugduni, Nic. Heinſii, Amſtelodami Dominorum de *Witſen*, *van der Hem*, *de Wilde*, *Lucæ Occonis* &c. Daventriæ Ill. *Giſberti Cuperi* Patroni noſtri maximi; Dordraci, de *Witt*, Roterodami de *Deinots*, luſtrantibus patent numophylacia. Inſignis ille antiquorum nummismatum theſaurus *Cornelii Nicolai*, juvenis nobiliſſimi, una cum Bibliotheca ejusdem inſtructiſſima & reliqua muſei ſupellectili rariſſima auctione publica diſtrahebatur Amſtelædami A. 1698. In Germania ſuo ævo *Luckius* antiquos conquirebat numos Argentorati, A. 1677. vero ibidem impreſſum fuit muſeum *Branckenhöferianum*; Noribergæ teſtamento reliquit collegio Sebaldino *B.Dilherrus* numos aureos XXVII. argenteos & æreos Romanorum Cæſarum & familiarum CL; *Velſeri*, *Volckameri*, *Eb-*

 nerorum

nerorum fratrum, *Engellandi*, *Grableri*, *Viatisii* &c. musea & cimeliothecæ clari nominis sunt. Augustæ Vindelicorum ut olim *Occo* & *Peutinger*, sic nuper *Georg. Hieron. Velschius* suum perlustrandum exponebat museum. Viennæ quondam *Lazii*, hodie vero AUGUSTISSIMI CAROLI IMP. P. F. PP. O. M. Gazophylacium spectatu dignissimum est, & quam vellem commentario illud illustraret dignis modis Vir rei peritus, quemadmodum BRANDENBURGICUM thesaurum laudatus Laur. Begerus exposuit *Berolini*. Vidimus quidem Beschreibung der Käyserl. Geist- und Weltlichen Schatz-Kammer in Wien von denen vornehmsten Stücken so alda denckwürdig zu sehen / Wien / A. 1680. in 8. sed aliquando nos esse visuros majora, non dubito. Numophylacium Palatinum *Heidelbergense*, ante annos non adeo multos aureis mille, argenteis æreisque plurimis & monumentis rarioribus, quæ passim, & præcipue per Italiam investigaverat, jubente Hero SRmo CAROLO LUDOVICO, Spanhemius, refertum erat; nec minor post hæc erit gloria, structura novæ domus amplissima perfecta, omnibusque in ordinem redactis, numophylacii *Gvelpherbytani* splendore Bibliothecæ per universum orbem clarissimæ, utpote cum tam illud, quam hanc indies multiplici apparatu (Marquardi Gudii MSCta, thesaurum insignem huic Bibliothecæ nuper vindicavit Leibnizius redimente SRmo Ant. Ulr. D. B. & L.) magis

magis-

magisque augeat & exornet SRmus Dux ac Princeps Auguſtus Wilhelmus, quem Deus ſervet, quem Deus perpetuet, de noſtris annis Deus ipſi augeat annos, Gazophylacium *Gothanum* quod SRmus Dux FRIDERICUS cura Guilielmi Ern. Tenzelii & Barthol. Meyeri in ornamentum Bibliothecæ inſtrui juſſit, Principe dignum jam erat, ex quo vero nuper cimeliarchum plane Regium, *Arnſtadienſe* puto, acceſſit, factum eſt tale, ut adeo magnifice nil quicquam dici aut ſcribi poſſit, id præſtantia ejus, quin ſuperet. SRmorum gazophylaciis parum cedit pretioſiſſimus numorum aureorum & argenteorum, miſſilium præcipue theſaurus RVRdiſſimi pariter ac Præilluſtris Domini *Gerhardi* Abbatis liberi & Imperialis cœnobii *Lucenſis*, Eccleſiarum in Electoratu Br. & Luneb. Directoris ſupremi, ſtatuum Calenbergenſium Primatis &c. Patroni noſtri O. M. Uratiſlaviæ cimelia *Rhedigeriana* undique conquiſita in Bibliotheca templi Eliſabethani aſſervantur melius, ac in Epheſino Dianæ omnium gentium, ceu loquitur Dio, cui facundia nomen Chryſoſtomi peperit, in oratione Rhodiana, pecuniæ, aut apud Romanos olim in Saturni fano theſauri publici; Ut de *Kretſchmani*, *Volgnadiorum*, *Laureæ* &c. numis nil dicam. Dreſdæ poſt cimeliarchium Regium luſtrandum eſt Domini ab Haugwitz numophylacium. Nondum etiam concidit apud Neomagienſes rariſſima & ampliſſima antiquorum nummorum rerum-

que antiquiſſimarum ſupellex, quam *Smetii* pater & filius, per annos plurimos collegerunt, velut promtuarium rebus gemmeis, aureis, argenteis æneis, ferreis, plumbeis, vitreis, oſſeis, figlinis, lapideis plenum, ad omnem antiquitatem Eccleſiaſticam bellicam, chirurgicam fabrilem, domeſticam, veſtiariam, annulariam, fibulariam, menſurariam, ponderariam, luſoriam, vaſculariam, ſepulchralem & numariam illuſtrandam. Decem ibi numorum vetuſtorum millia, & mille propemodum alii, ad familiarum Cæſarumque hiſtoriam utiliſſimi, quos nemo unquam attigit, vel emiſit, numerantur. Halæ Saxonum non vile inſtruxit numophylacium ante annos aliquot *M. Gottfried Olearius*, quemadmodum Helmſtadii *Meibohmius*. Hamburgi muſea *Fogelii*, *Hauſwedelii*, *Moſſaveri*, *Siveri* &c. ſcrinia non ſunt ignobilia, Thaumatothecam naturalium præcipue, quam inſtruit Magnificus Dominus ab *Anderſon* Syndicus ibidem celeberrimus, & dum hæc ſcribo, Legatus ad LUDOVICUM M. Galliæ Regem, Fautor noſter longe honoratiſſimus, mirabitur & celebrabit poſteritas. Lubecæ *D. Leopoldi* cimeliarchum & Domini P. a *Mellen* Uncialium thecæ, Kilonii vero *Joh. Burcard. Maji* numophylacium commendanda ſunt. Bremæ nuper admodum venum exponebatur Numophylacium *Eggelingianum*, tam antiquorum Græcorum, Romanorum Gothicorum & Bracteatorum, quam recentiorum Medaglionum miſſilium,

um, uncialium &c. numorum. De Domini *Joh. Hinsen*, Consiliarii Regii & Consulis Vesaliensis, quod visitur Vesaliæ gazophylacio, vid. supra Dissert. V. §. 1. Sic & celebravimus Dissert. VI. §. 1. Romanorum nummorum thesaurum Perillustris & Generosissimi Domini *Henr. Sigismundi* de BAHR Magnæ Britanniæ Monarchæ &c. Consiliarii intimi; Et Dissert. XII. §. 5. de numophylacio Generosissimi Domini de LUNING in Landock & Ellerbrock, ut & Domini *de la Fallvize*, quod quidem hic una cum reliquo museo ex munificentia SRmi Ducis Lotharingiæ regentis, possidebat, egimus. Tandem (quis enim omnes & singulos Germaniæ, Septentrionis, Svecicos, Danicos, aut etiam Polonicos, Hungaricos, Bohemicos &c. in medium proferre posset thesauros & numothecas?) Jenæ *Wedelii* Altdorphi *Wagenseilii*, Lipsiæ *Bosii*, *Reinhardi*, *Gravii* & *Plazii*, Stargardii *Ducale*, Vinariæ *Ducale*, Ulmæ *Gockelii* &c. &c. frequentanda sunt musea & numophylacia. *Monasteriensia* prope diem nobis aperturus est Dn. Jodocus Hermannus Nunningh JUD. Canonicus & Scholast. Uredensis, qui ante menses aliquot nobis obtulit, Sepulcretum Westphalico Minigardico Gentile cum figuris æneis, Fautor noster colendus. Plura evolvantur in Patini Introductione ad hist. numismat. c. 25. p. m. 215. & seqq. usque ad libri finem. Ad Technophysiotamea, quod attinet, iis jam antiquissimos dedisse operam, non

H 5 dubi-

dubitamus. Ipſum *Salomonem* Regum, teſte Spiritu S. ſapientiſſimum (de quo neſcio qua fronte nonnemo doceat, ejus ſapientiam tantam, ut prædicatur, non fuiſſe, aut etiam tam veterum, quam recentiorum ſuperaſſe) habuiſſe inſtructiſſimum, nemo facile negabit. Cæſarem *Auguſtum* Capreis belluarum, ferarumque prægrandia membra, quæ vulgus gigantum oſſa & Heroum arma appellat aſſervaſſe, legimus. Memini Molhuſii Thuringorum, quæ Imperialis mihi eſt natalis, cui cedant omnia recte, ſuccedant omnia fauſte! in æde D. Jacobi ſuſpenſum monſtrari os ſeu ſpinam monſtri marini, pedes octo circiter longam quam vulgus coſtam credit eſſe giganteam. Ut *Aſinii Pollionis*. T. Pomponii, Hirtii & Varronis &c. &c. Pinacothecas & Technophyſiotamea mittam. Nec reviviſcentibus literis, ultimi fuerunt Itali in inſtruendis talibus. Venetiis præter ſupra commendata Muſea viſenda ſunt Phyſiotamea *Vendrameni*, *Ruſini* &c. Veronæ *Franc. Calceotarii* muſeum a Joh. Baptiſta Olivo expoſitum eſt. A Pignorio laudentur *Bruzii* & *Speronii* res raræ, quibus addi poſſunt *Corradini*, *Salæ* & *Bonovidii* Patavii. Præter *Kircheri* laudatum Romæ, *Cæſii*, *Burgheſii*, *Gvaldi*, *Maffæi*, *Ciampini*, *Joh. Mabillonii* muſeum Italicum, Angeli *Cauſſei* de la Choſe Muſeum Romanum A. 1707 in f. Romæ impreſſum, nec non Abbatis *Bourdelotii* in hoc negotio induſtria & res rariſſimæ, herbam merentur. Neapoli *Caraffæ*, *Cioffii* &c. Florentiæ vero

vero Physiotechnotameum Ducale & splendore & rebus reliquis merito antefertur. Messanæ *Siculorum Petri Castelli* Bononiæ *Ulyssis Aldrovandi* quondam oblectabant spectantes. Nec urbem fere alicujus nominis habet, in qua non antiquitatis & naturæ reperiuntur miracula lususque. In *Escuriali* Hispaniæ etiam varia eaque insolita servantur artis & naturæ opera, quemadmodum Hispali *Nicolai Menardi* extollitur Physiotameum. In Gallia sua ætate *Peirescius* Aquis Sextiis multa naturæ arcana & abdita collegit, de quibus evolvi potest Gassendus in vita Peirescii, Nec latet Regium Museum *Dionysianum*, nec *Richelii* & *Mazarini*, *Thuillerii*, *Pretesegle* &c. sicut & superiori seculo *Laurentii Catelani* spectantibus stuporem injiciebat Monspelii. In Helvetia *Felicis Plateri Scheuchzeri*, *Gesneri*, *Bauhinorum* & *Feschiorum* & cives & hospites admirabantur physiotamea. In Anglia Musæum Regalis societatis in collegio *Greshamensis* aspectu jucundissimum est, cujus catalogus autore Nehemia Grea Londini 1681. in f. typis impressus fuit. Sic & Londini patet Theatrum *Scheldonianum*, *Bodlejanum*, *Smidianum*, *Tradescanum*; *Glissonianum* & *Ashmoleanum*, quod carmine heroico celebravit Joh. Dolben. *Pettiverianum* rarissima naturæ opera comprehendens iconibus æneis eleganter illustratum, edidit Londini in f. 1705. Jacob Pettivier; *Roberti Boylæi* Technophylacium ex regno minerali, animali & vegetabili, rarissimas curiosis specta-

ſpectatoribus exhibet res. Domini de *Forges* Amphitheatrum naturæ A. 1651. Lipſiæ non ſine animi dulcedine ſpectandum ſe exhibebat, delatum dein Hamburgum, ubi vero tandem conſederit, non conſtat. In Hollandia *Lugdunenſe* tam, quam *Amſtelodamenſe*, & quidem illud anatomicum, rebus naturalibus præcipue illuſtre; hoc rebus exoticis & rariſſimis viſuque ſtupendis refertum, ſpectantes oblectat; quibus jungenda ſunt muſea *Colbii*, *Bruynii*, *Blanii*, *Potti*, *Reinitii*, *Ruiteri*, *Schwammerdammi*, *Volckeri* &c. Lugduni *Hornii* & *Knolteri* &c. Delphis *Daketi*, Graveſandi *van der Mair* & *Revicrii*; Hagæ Comitum *Nieropii* & *Schelhameri* viſuntur rerum variarum promtuaria. In Germania, Noribergæ *Engellandi Grableri*, *Hillingeri*, *Hautſchii* & *Wurfbainii* Tameothecæ in celebritate verſantur; Hamburgi *Pauli Langermans* & *Sperlingii*, Hildeshemii *Frid. Lachmundi*, cujus extat Ορυντογραφια, ſeu admirandorum foſſilium, in tractu Hildesheimienſi repertorum, Deſcriptio, iconibus illuſtrata Ao. 1669. reperiebatur muſeum. Technotameum Onoldinum & pinacotheca *Electoralis*, quæ Monachii; nec non *Cypriani Schalleri* & *Joh. Schuembergeri* Phyſiotamea Auguſtæ Vindelicorum perluſtrari poterant. Francofurtum ad Mœnum *Horſtii* & *Schefferi*, Gottorpium *Ducale*, quod quondam deſcripſit Adam. Olearius, quodque Bernhardi Baludani collectaneis auctum fuit, habebat muſeum. Lipſiæ magni ante aliquot annos fiebat

bat museum COS. *Lorenz* ab Adlershelm. Uratislaviæ *Phil. Jacob. Sachsii*, *Crusii*, *Scholzii* & *Kalenbergeri* celebrabantur physiotamea. *Joh. Jac. Speneri*, quod tunc Halæ Saxonum visebatur Museum, Ao. 1693. opera consignatum Joh. Martini Michaelis, imprimebatur Lipsiæ Ao. 1693. in 8. Ulma *Wilhelmi Wernheri* Comitis a Cimbern Promtuarium rerum naturalium & artificialium habebat; & in Suevia aliis præponendum erat Technophysiotameum Comitis a *Montfort*. *Dresdense* vero εξωτικοθαυματουργηματοταμαειον, quis dignis modis celebrabit & verbis? Ao. 1696. ab Oligero Jacobæo Medico Regio Hafniæ editum est in f. *Museum Regium*, quod in Basilica Bibliotheca Augustissimi Daniæ Norvegiæque Monarchæ Christiani V. tunc asservabatur, in quo multa egregia tam naturæ, quam artis opera in conclavibus octo reperiuntur, V.g. in primo varia ex homine desumta, animalia, conchylia, plantæ, lapides, terræ, metalla & mineralia, in secundo res artificiales ex auro, argento, ære, ferro, ligno, ebore, unicornu succino &c. &c. elaboratæ, in tertio varia armorum & vestimentorum genera, vasa, utensilia, variæ ex utraque India, China, Japonia, Turcia, Trataria, Islandia, Grœnlandia, Insulisque Feroënsibus res apportatæ; in quarto, optica, mechanica & antiquitatum varia spolia; in quinto præter varias picturas ac res alias pretiosas, illustres Principes utriusque sexus artificio plastico efformati; in sex-

to

to & ſeptimo aliæ picturæ, & tandem in octavo numorum tam veterum quam recentiorum magna monſtratur copia. Sic & *Olai Wormii* & *Thomæ Bartholini* ſe prae ceteris ante aliquot annos commendabant promtuaria, quæ etiam typis ſunt conceſſa. Lugd. Batav. hoc quidem inſ. Ao. 1655. quibus tandem addimus Muſeum *Henr. Furien* cum cimeliis *Chariſii*, & *Thomæ Nymeiræ* neues Raritäten Cabinet Oſt- und Weſt-Indiſcher Sachen Hamb. 1705. in 8. Quomodo autem ſint inſtruenda, docet poſt alios Joh. Dav. Major im unvergleichen Gedenck / von Kunſt und Naturalien kammern / quique c. 4. a laudato *Sachſio* excogitatum vocabulum quo & nos Dreſdenſem theſaurum appellavimus Sale fricat; Iſti jungatur Dan. Guilielm. Molleri Diſſertatio de Technophyſiotameis, ſeu Kunſt-Kammern. Noſtra ſupellex, exilis admodum licet ſit, non dubitamus tamen in illa, (: ut non raro in Bibliotheca non adeo inſtructa inſigne volumen :) aliquid repertum iri, quod paucis obviam factum.

NUMOPHYLACIUM.

NUMI AUREI.

1 Numus Gothicus ex auro puro Pegaſeus, Diſſertatione XI. expoſitus.

2 Caput unionibus vinctum (: ex auro pallido :) cum inſcript. TRIEOTOFITA A. f. figura



MAPEAINVSN Similem

fere

fere profert Samuel Reyher in Diss. de numis ex metallo chimico factis c. 1. §. 18. p. m. 12.

RECENTIORES MODULI MAJORIS.

3 FERDINANDUS ET ELISABETH REX ET REGINA. F. a. Aquila tenens insignia, SUB UMBRA ALARUM TUARUM Vulgo appellabantur, duorum capitum. Conf. Covarruvias.

4 JOH. 3. REX PORTUGALLIÆ AL. &c. Crux, IN HOC SIGNO VINCES De numis cruciariis Mxme Rev. Valent. Ern. Löscher in Dissert. de rei nummariæ usu in explicatione S. antiquitatis cap. 2. §. 1.

5 MATTIAS II. REX HUNGARIÆ CORONATUS MDCVIII A.f. Uxoris effigies, QUI CUM ANNA AUSTRIÆ ARCHID. VIEN NUPTIAS CELEBRAVIT 4. Dec. Anno 1611.

6 EDUARDUS (: quartus quod demonstrant literarum figuræ :) REX ANGL. FRAN. HIB. EB. Fa. in limbo JEHs. AUTEm TRANSIENS PER MEDIUM IBAT EORUM.

7 Idem.

8 Christus in nauigio dormiens æstuantibus undis, IN TEMPESTATE SECURITAS A. f. S. Georg. eques transfodiens Draconem

S. GE-

S. GEORGIUS EQUES U. M. PATRONUS.

9 Urbs Monasterium S. PAULUS PATRONUS, infra urbem MONAST. WESTPH. AD OBED. REDUCTUM. In limbo, ARMO CELsmo DD CHRISTOPH BERN. EPo ET PRINCIPE MONAST. Ao MDCLXI A. f. Insignia sistit, & PROTECTOR. MEUS. ET. IN. IPSO. SPERAVI. QUI. SUBDIT. POPULUM. MEUM. SUB. ME. Psalm. 143.

10 Mater vidua & filius Rex invicem se aspicientes, JOANA ET KARLOS DEI GRA. R. F. a. Insigne, IOANA ET KAROLUS RXS ARAGONUM V.

MINORIS MODULI.

11 Corona Imperatoria: LEOPOLDUS HUNG. ET BOHEMIÆ REX CORON. IN REGEM ROMANUM I. AUGUSTI MDCLVIII F. a. Providus DEI oculus, CONSILIO ET INDUSTRIA.

NUMI ARGENTEI.

1 THASIORUM, antiquitate & nitore præ omnibus, quos ego quidem vidi, coruscans (de

(de quo etiam Beger in Theſ. Brandenb. p. 423.) a nobis Diſſertatione X. illuſtratus.

2 SICLUS, ſed non optimæ fidei, altera amygdali ramum cum epigraphe ירושלים, הקדושה altera thuribuli vas fumum exhalans, cum epigraphe שקל ישראל exhibens. De Judæorum re numaria videatur Ben. Arias Montanus in Thubalcaino A. 1572. Gaſp. Waſerus, de antiquis Hebræorum &c. numis, Tiguri 1605. Jacobus Tirinus S. J. in Prolegg. ad Comment. in Scr. S. Antw. 1632. Joh. Baptiſta Villalpandus S. J. t. 3. in Ezech. Romæ, 1604. Joſua Simler & Maſſarius in expoſitione vocabulorum rei nummariæ Tigur 1548. Marinus Merſennus in Cogitatis Phyſico-Mathem. Pariſ. 1644. Marquard Freher in Numiſmate cenſus Frf. 1675. Mathæus Hortus, in Hiſt. rei numariæ tom. 1. ibidem & eodem anno Paulus Eberus Ebræorum rei numariæ vocabula ex Budæo, Camerario &c. collegit Lipſ. 1564. Pontus Heuterus de monetis veterum Londini 1649. Henr. Bunting de monetis & menſuris SS. Chriſtoph. Schrader in Epiſt. ad F. A. D. B. & L. 1674. Cornel. Dieter. Koch, Fautor noſter colendus de numorum Ebr. inſcriptionibus Samaritanicis Helmſt. 1712. Adrian Relandus de Inſcript. quorundam numorum Samaritanorum, Joh. Baptiſta Ottius in epiſtola ad hunc Relandum de numis quibusdam Samaritanicis A. 1704. J. A. Schmid, qui

vivit & valet, L. D. de re monetali Ebræorum, 1699. In ſiclis etiam oſtendi crucem, obſervarunt Villalpandus ad Templum Ez. p. 1. l. 2. c. 21. Hottinger de cippis tab. 3. & 5. & Kippingius de cruce p. 118. Supereſſe genuinos ſiclos merito dubitat Jobertus l. ſ. c. præcept. 7. p. m. 153. Quemadmodum laudato Patino nunquam contigit videre antiquum. Svaviter quidem, ait, c. 12. p. m. 83. Hiſt. numiſm. audio, unum antiquum aſſervari pretioſe apud PP. Hieroſolymitanos in Eſcuriali, quem ab Imp. Carolo V. una cum incomparabili Bibliotheca nuper conflagrata dono acceperunt.

4 MASSILIÆ, Galliæ Phocæenſium coloniæ, quem expoſuimus ſupra in Diſſ. XVII. Conf. Golzius t. 36. & 37. & Beger l. c. p. 361.

5 VICTORIATUS, de quo evolenda eſt Diſſert. XII.

FAMILIARUM.

6 ACILIÆ, de quo legi poteſt Diſſert. XX.

7 FURIÆ Vid. Diſſert. I. In memoriam ſcil. triumphi, quam P. Furius Philus de Liguribus egit A. V. DXXX.

8 FONTESÆ, Vid. Diſſert. XIII.

9 GALBÆ, quem exponit Diſſert. XIV.

10 PAPIÆ, de quo vid. §. 1. Diſſertationis XV.

11 PLAVTIÆ, de quo legenda eſt Diſſert. XVI. Regulum quendam eſſe Arabiæ, qui ge-

nu

nu ponit, ſubjugatus eo bello, in quo Rex Aretas a Scauro victus, ſunt, qui ſtatuunt.

12 TITIÆ, Vid. Diſſert. XI. Eſt autem Pegaſus ſymbolum coloniæ.

13 TITURIÆ quem evolvit Diſſertatio XV.

CÆSARUM.

14 AUGUSTI H. S. in Diſſertione IV. expoſitus.

15 AUGUSTI caput laureatum. F. a. Columna roſtrata, CÆSAR. Columnæ ſuperſtat figura enſe cincta haſtamque tenens. Conf. Arſchot. tab. 9. Num. 20.

16 CÆSAR AUGUSTUS DIVI F. PATER P. F. a. C. L. CÆSARES. Vid. Diſſert. III.

17 TIBERIUS.

18 AGRIPPINA, Vid. Diſſert. V.

19 NERO, de quo in Diſſert VI. actum eſt.

20 IMP. CÆS. VESPASIANUS AUG. F. a. Figura ſedens ſub pedibus habent ſcabellum PON. MAX. TR. P.

21 Titus diademate cinctus A. f. Figura equeſtris COLON.

22 JULIA AUG. F. a. Veſta ſedens dextra palladium ſiniſtra haſtam puram tenet, VESTA. Juliæ, Titi uxoris tertiæ hic eſt.

23 IMP. CÆS. AUG. DOMITIAN. COS.

I 2 P. P.

P. P. Figura dextra ut videtur bilancem ſiv. haſtam tenet, literis detritis.

24 IMP. CÆS. NERVA TRAJAN AUG. GERM. Hercules nudus ſtans in baſi quadrata, dextra clavam, ſiniſtra exuvias leonis, quibus & caput texit, levat, P. M. TR. P. COS. IIII. P. P.

25 IMP. CÆS. TRAJANUS. Figura ſtans dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ tenet, P. M. TR. P. COS. III.

26 IMP. TRAJAN. AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. Figura ſtolata ſiniſtra tenet cornucopiæ, reliquis detritis.

27 HADRIANUS AUGUSTUS. Roma inſidens ſpoliis haſtam dextra tenens ſiniſtram protendens COS. III. Conf. Diſſert. XVIII.

28 HADRIANUS AUGUST Trig. ſedens, dextra pateram ſiniſtra cornucopiæ tenet COS. III.

29 IMP. CÆS. TRAJANUS HADRIANUS AUG. Figura alata h. e. Victoria gradiens, haſtam, cui infixa ſpolia duabus tenet manibus.

30 IMP. TRAJAN. AUG. GER. DAC. F. a. Tropæum habet & exuvias, literis detritis.

31 IMP. TRAJAN. AUG. GERM. DAC. P. M. TR. P. Figura ſtans, ſiniſtro brachio fulcro

fulcro innititur, dextraque porrigit aliquid COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC.

32 ANTONINUS AUGUST PIUS P. P. TR. P. XXIII. Figura muliebris ſtans, dextram elevans, ſiniſtra tenens inſtrumentum aliquod, ad pedes ſtantes habet duos puerulos, PIETATI AUG. COS. III.

33 Caput laureatum, & facies barbata, ANTONINUS AUG. TR. P. XXVIII. Figura ſtans dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenet, IMP. VII. COS. III.

34 DIVA FAUSTINA. Figura ſedens dextra ſpicam, ſiniſtra haſtam tenet CERES. Vid. Diſſert. XIX.

35 M. COMM. ANT. P. FEL. AUG. BRIT. A. f. Figura ſtolata ſtans bilancem, ſiniſtra ramum tenet P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P.

36 L. SEPT. SEV. AUG. Figura ſedens dextra ramum tenet, PACI ÆTERNÆ.

37 L. SEPT. SEV. AUG. IMP. XI. PONT. MAX. Figura ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornu copiæ tenet--OVITAS AUGG.

38 L. SEPT. SEV. AUG. IMPER. Figura dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ tenet, P. M. TR. POT.—P. F.

39 L. SEPT. SEV.-Figura ſedens, literis detritis.

40 L. SEPT. SEV.--Figura gradiens haſtæ infixa utraque manu protendit ſpolia.

41 JULIA DOMNA AUGUSTA. Figura muliebris dextra tenens aliquid, ſiniſtra veſtem levat BONA SPES.

42 (Elagabali) IMP. ANTONINUS PIUS AUG. Figura inſidens currui triumphali dextra aliquid (victoriolam eſſe puto) ſiniſtra cornucopiæ tenet, FORTUNA AUGUSTI. Peſſimum & impudiciſſimum hoc hominis monſtrum, Antoninus appellatum a Sœna matre, a Macrino in Phœniciam ejectum, cultui Solis ibidem ſe tradidit, cum vero eſſet juvenis forma & reliquis corporis dotibus præſtantiſſimus, nullique ſecundus, a militibus contra Macrinum Imperator appellatus eſt. Romam venit ſuumque Deum Heliogabalum illuc traduxit, mentitus Antonini Pii genus & familiam, pariter ANTONINUS PIUS nominari voluit, ex quo iſtum ſuum ſolem ſeu Deaſtrum omnibus reliquis Romanorum Diis præpoſuit, & cæſis aliquot pueris, victimis humanis eundem placavit, cumque eſſet circumciſus, carnibus porcinis abſtinuit, cetera, per cuncta cava corporis libidinem exercens & recipiens, occiſus in latrina ſordida ſhomo ſordidiſſimus.

43 IMP. C. M. AUR. SEV. ALEXANDER AUG. Figura gradiens dextra fulmen, ſiniſtra gladium tenet. P. M. TR. P. COS. P. P.

44 Caput radiatum. IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANUS AUG. Roma ſpoliis inſidens, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenet, ROMÆ ÆTERNÆ.

45 IMP. GORDIANUS P.F. AUG. Mars gradivus dextra haſtam inferens ſiniſtra clypeum tenens, MARS PROPUGNATOR.

46 IMP. M. JUL. PHILIPP. Fig. ſedens protendit dextram, ſiniſtra cornucopiæ tenet.

47 Cap. radiatum pateram, IMP. CN. Q. TRAJANUS DECIUS AUG. Concordia Dea ſtans dextra pateram ſiniſtra cornucopiæ tenet CONCORDIA AUG.

48 IMP. GALLIENUS AUG. Figura monſtroſa — CONS. AUG.

49 Caput criſpum radiatum & barbatum, IMP. POSTUMUS P. F. AUG. Figura ſtans; dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenet, FELICITAS AUG.

50 Idem.

51 IMP. C. c. VAL. DIOCLETIANUS P. F. AUG. Figura nuda ſtans, dex-

tra victoriolam, ut videtur, ſiniſtra haſtam tenet, JOVI STAT. AUG. Hic ut erat ſumma prudentia maximoque judicio, ita & ambitioſus & inflatus adeo, ut divinos affectaret honores, pedumque oſculum a civibus & militibus poſceret, eumque in finem calceos ſuos auro, margaritis & gemmis exornaret. De calceis, pluribus infra dicturi ſumus.

52 Caput laureatum Imperatoris, detritis literis F. a. Trophæo aſſident duo captivi--XI. M. P. XV. COS. VIII.

53 D. N. CONSTANTIUS P. F. AUG. In corona VOTIS XXX. MULTIS XXXX.

54 Caput Imperatoris F. a. Duo milites galeati ſtantes ad ſigna militaria.

BRACTEATI ET ÆTATIS MEDIÆ.

1 Moduli majoris. Surgunt ex aqua duo monſtra marina hiantibus faucibus ſe invicem aſpicientia interpoſita columna, MARBURG.

2. 3. 4. Patellæ rudi leone ſignatæ.

5 Patella elegans cum inſigni urbis & aquila, MOLHUS.

6. 7. Ejusdem civitatis.

8 Idem inſigne, ſed alatum.

9 Gutta

9 Gutta Iridis, quam pariter patellam appellant, nitidiſſima.

10 Fig. dextra clavem ſin. piſcem tenens. Fa. Fig. dextra benedicens, ſin. piſcem tenet, adſtante a ſiniſtris alia.

11 Figura cum tiara, at non lunata, ſed quadrata, ore hiante, dextra gladium, ſiniſtra palmam tenens. F. a. Aliam quidem ſed rudem admodum præ ſe fert ſpeciem.

12 Crucem in lilia exeuntem nitidiſſime ſiſtit, Altera vero facies Argo indiget.

13 Leo, H. DUX, A. faciei figura & literæ lynceos poſtulant oculos.

14 Urſum dicerem, niſi nimis foret caudatus.

15 Sciurus luſitans.

16 Aquila F. av. Facies humana.

17 Comitum Onolzbacenſium tres piſces & trifolium.

18 Tria lilia, totidemque vaſa, aut crumenæ etiam.

19. 20. Comitum ab Hohenembs, Capricornus.

21 Aquila paſſis alis tuens ſemicirculum & globum.

22 Draco.

23 Roſa ſex foliorum, 24. quinque foliorum 25. trium foliorum.

24. 25. Rudiores.

26 27. 28. 29. 30. Cruciarii, quorum f. a. volam

 monſtrat,

monſtrat, nimirum Civitatis Mundelsheim, aliis Antwerpienſ. etiam. Tales ad amuleta pertinere numaria, didici adoleſcens in patria, dum ſæpe pro avertendis incatamentis & averruncandis malis, nuper natorum collis, vidi appenſos, Creutzmentzer appellant. De initio Evangelii Johannis Hottinger in Analect. Diſſ. 1. de neceſſit. Reform. p. m. 33. & ſeqq. ubi de phylacteriis egit, ait, Chryſoſtomi ætate jam de collo habebant ἀποσπάσματα, quibus initium Evangelii Joh. fuit inſcriptum. Add. Joſeph. Halls Gewiſſens Rhat erkläret von M. Martino Kempio p. m. 260. & 266. ſeqq Jt. Wolſii Cruriosus Amuletorum Scrutator A. 1692. in 4. Ad crucis ſignum, quod ſpectat, ex paucis his, quæ ſequuntur, & paulo inferius dicentur, quantum quidam eidem tribuerint, aut etiam tribuant, patet. Pallio aut togæ aſſuebant conſpicuam aut in pectore aut in ſcapulis, aut dextro humero, exemplo teſſeræ militaris, qui ſub Vrbano III. P. M. terram ſanctam erant recuperaturi. Pro nationum diverſitate autem varii iſtæ cruces erant coloris. Andr. Sylvius Marcianenſis ad Ann. M. XCVI; *Affigunt cruces e purpureo panno confectas in palliis ſuis ad ſcapulam dextram pro teſſera militari.* Idem ad Ann. 1188. *Signo ſe crucis inſigniunt* &c. *Et Rex Franciæ cum ſuis rubeas cruces, Rex Angliæ cum ſuis albas, Comes Flandrenſes cum ſuis viri-*

virides suscipiunt. Carafa Lutetiam, regni metropolim, tanquam Pontificis legatus solita pompa ingreditur, ubi, cum signum crucis, ut fit, ederet, verborum quæ proferri mos est, loco, ferunt eum, ut erat securo de numine animo, & summus relligionis derisor, occursante passim populo, & in genua ad ipsius conspectum procumbente, sæpius secreta murmuratione hæc verba ingeminasse QUANDOQUIDEM POPULUS ISTE VULT DECIPI DECIPIATUR, verba sunt Thuani, Historiar. lib. XVII. ad A. C. 1556. p. m. 356. (b) Coronam crucis signo circumjectam tum Victoriæ indicium esse, tum æternitatis, docet Sozomenus l. 5. c. 1. p. m. 256. Sic & tam annulum, quam coronam nuptialem ita olim sacerdotem consecrasse, *Bene † dic Domine annulum istum & coronam istam*, ex veteribus Liturgiis refert Laurent. Pignorius in symbolis Epistolicis Epist. 19. Hieronymus in epist. ad Lætam, ubi Religionis Christianæ amplitudinem recenset, ait: *Et in urbe* (*Roma*) *patitur gentilitas solitudinem, dii quondam nationum cum bubonibus & noctuis, in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum, crucis insignia sunt. Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat.* Athanasius Kircher in China Illustrata cap. 4. p. m. 35. *In Japonia findentibus arborem crux inventa rei novitate omnes in*

in admirationem traxit. Ipſe ego fiſſori adſtans in ligno (prout petenti monſtrari poſſunt) has figuras nigricantes, majores vero quam hic apparent offendi. Ego, ni primus ipſe partem hanc aſcia ſumma vi ab arbore deſectam cadere vidiſſem, in dubium vocare potuiſſem. Interim quem latent naturæ luſus? Hoc argumentum infra in numo Juſtiniani pluribus perſequar.



32. 33. 34. CAROLUS M. ſi eſt, quod putat Gottfried in Chronic. tab. 22. non ſiniſtra ſed dextra gladium tenens. F. a. Epiſcopus in cathedra ſedens, dextra benedicit, ſiniſtra librum tenet, EPIS--CUS. Hunc vero Caroli M. non eſſe prodit literarum figura recentioris ſeculi.

35 Salvator cum corona F. a. Caput Cæſaris in triangulo, quod ambiunt literæ antiquiſſimæ notæ.

Ad 44 uſque Caput Divi, ſeu, Patroni, F. a. Epiſcopus ſedens dextra benedicit, ſiniſtra librum tenet.

45 Caput cum nimbo ---NPOSTO. Fa. ut præcedens.

46 Divus, LIBORI. Cetera Epiſcopus, ut reliqui.

47. 48. 49 Imperator coronatus, dextra ſceptrum ſiniſtra globum, F. a. Caput in triangulo, cujus, non ſatis apparet, CIVITAT.

50 Caput Imperatoris in triangulo. - EK--Fa Varia inſignia.

51 Imperator. F. a. Urbs in quadrangulo CIVE TREM.

52 Imp. F. a. Epiſcopus dextra benedicens ſiniſtra florem, aut roſam tenens.

53 Caput tiaratum, Figura Epiſcopi.

Ad 59 Vſque Epiſcopus cum lituo aut cruce etiam & libro F. a. Urbs & rota, vulgo dicuntur Wöbbeling höſtes/ qui licet in his terris adeo non ſint rari, in monumentis Monaſterienſibus & Oſnabrugenſibus verſatiſſimis tamen non parum dant negotii.

60 Epiſcopus dextra librum, ſiniſtra lituum tenet. Urbis figura.

61 Templum aut etiam palatium.

62 Epiſcopus dextra lituum, ſiniſtra crucem tenet F. a. Rota DENB. (WIDENBRUGG)

63 Epiſcop. ſedens dextra crucem ſin. librum tenet. F. a. Templum & lilium ſplendidum.

Ad 80 Uſque his parum diſſimiles

81 & 82 A. f. Urbs.

83 Imperator, ut videtur, ſed ſine corona & ſceptro,

ptro, KI-MCIS LAUS F. a. Figura crucem in manu gerens, WENCESLAUS.

84 Facies rudis admodum & turrita, HENRICUS. Crux geminata globulis quatuor in totidem plagis distincta. RICH. Henrici III. Regis hic est, qui ab anno 1216. ad 1272. præfuit Angliæ.

85 Usque ad 95 Variarum figurarum.

96 Antiquissimus numus Waldeccensis.

97 Litera ERSBERG. Templi figura. Eresbergensis, seu Hausbergensis, hic est. Templum Karolinum enim, quod hodie ibi superest, vivam fundatoris imaginem Saxo insculptam (prout supra aditum splendidæ nostra curiæ insignis ejusdem Caroli statua, dextra gladium, sinistra pomum tenens posita est) in aditu cœmeterii ostentat, in frontispicio vero templi litera expressa apparet, & credunt quidam, collegium Ersbergianum primum esse ex illis, quæ Karolus M. amplificandi cultus divini causa, certo numero, seu ad Latinorum, elementa struxit. Ad numerum autem Alphabethi cœnobia fundasse, & in unoquoque per ordinem unam Alphabethi literam de auro fabricatam; plusquam 100. libras Turonenses valentem, reliquisse, ex glossatore speculi Saxonici ad libr. 3. artic. 82. refert

fert

fert Meibomius in Irminſula Saxonica p. m. 53. idemque ex Chronico Belgico magno & Hulderici Murii Chronico rerum Germanicarum, nec non Hoſpiniano de orig. templorum pluribus demonſtrat.

98 Corona JOANNES PRIMUS. Leo bifidam erigens caudam. Elegans hic admodum eſt. Caudam apud Ebræos pro pene & virilibus ſumi præcipue Jobi 40. 12. nonnulli putant. Latinis caudam hac notione uſurpatam fuiſſe, refert Cicero l. 9. fam. Ep. 22. Promiſcue hæc duo quondam uſurpata fuiſſe vocabula conſtat ex Sat. 3. l. 1. Serm. Horat. de hominibus caudatis vid. Colloqq. menſtr. Tenzelii Ao. 1690. p. m. 906. & ſeqq.

99 100 & 101 Petri & Pauli imagines, claves aliaque inſignia exhibent.

102 Fig. dextra gladium tenens, in pectorali leonem bifidum gerit DIDERIC. F. a. Roſa conſpicitur.

Uſque ad 108 Non ſatis dignoſci poſſunt.

109 Caput tiaratum F. a. Gladius & clavis crucem faciunt aſſurgente in horum medio ramo.

110 Fig. dextra lituum, ſin. ramum tenens, F. a. Urbs & rota offenditur

111 Fig. dextra crucem, ſin. lituum tenet caput ambiente nimbo, & in cujus ſinu aquila conſpicitur.

112

112 Crux duodecim liliis ornata FRANCOFORD ANGLIÆ. F. a. Quatuor aquilæ in quatuor areolis.

113 Idem, A. f. vero quatuor leones in totidem areolis habet.

114 & 115 Corona ULADISLAUS SECUNDUS &c. F. a. Leo cum cauda bifida.

116 GALEAZ. VICECOM. MEDIOL. F. a. S. SIRUS PAPA, qui ſedens dextra benedicit, ſiniſtra lituum tenet. De Galeatio hoc Jovius in vita ejus: *Nero & Galeacius Sforcia Præceptores ulti ſunt. Ille enim, quod puer a Seneca Præceptore verbera tuliſſet, mori eum coegit, data tamen mortis eligenda copia & res componendi domeſticas ſpatio, teſte Svetonio. Hic factus Dux Mediolanenſis Nicolao Montano Pædagogo, a quo puer vapulaverat, totidem plagas nudis natibus rependi, ſe inſpectante, juſſit. Quæ injuria effecit, ut is tres ex ſuis diſcipulis præſertim vero Hieronymum Olgiatum ad tyranni cædem inflammarit.* Aliud crudelitatis impietatisque eius ſpecimen recenſet Froſſardus L. 3. Hiſt. p. m. 174. & ſeq. plura de eo referunt Tenzel. l. c. Ao. 1691. menſ. ſeptembr. a p. 793. ad p. 900. & Ernſt. Colloqu. 6. horarum ſ. f.

117 Idem, ſed F. a. ſerpentem, Mediolanenſ. inſigne ſiſtit.

118

118 Idem F. a. S. AMBROSIUS MEDIOLANENS.

119 Moneta Brixiensis

120 Moneta Göttingensis de Ao. 1429.

121 Rosa in clipeo BERNARD DE LIPP. NOBIL. F. a. Crux anchorata, insigne Paderborn.

122 122 Crux PHILIPPUS REX A. f. SIT NOME. DNI BENDICT.

123 KHAROLUS REX F. a. TURONUS CIVIS &c. de quibus evolvi potest Covarruvias. Grossos hos Turonenses sedecim obolis quondam æstimatos fuisse, pluraque de iis vid. tomo 3. Analectorum Anthonii Matth. p. m. 425.

RECENTIORES DUORUM CIRCITER SECULORUM SUNT

1. Chartaceus, Leo stans dextra gladio ictum minatur sinistra peltam, in qua claves in crucem formatæ, tenet, PUGNO PRO PATRIA 1574. F. a. in Corona LUGDUNUM BATAVORUM; minor hæc est, Majoris facta fuit mentio Dissert. I. §. 6. quemque novum ac magnum Theatrum urbium Belgii fœderati, in descriptione Lugduni Batavorum, epigraphen habuisse hanc tradit: HÆC LIBERTATIS ERGO, & in interiori sinu, N. O. V. L. S. G. I. P. A. C.

K quod

quod est; Numus obsessæ urbis Lugdunensis sub gubernatione illustrissimi Principis Auriaci cusus.

2 Ruta Saxonica E. W. A. B. G. DUCSSX-TULITAIIS.

A 150 usque, Hungariæ, Poloniæ, Transylvaniæ, Brabantiæ, Burgundiæ, Angliæ, Galliæ & Hispaniæ, Florentini, Melitenses, Mediolanenses, plerarumque provinciarum & Urbium Germaniæ, inter quos non pauci memoria dignissimi sunt.

151 Semiuncialis, FRANCISC. TRIOL. MAR. VIGLI. F. a. S. BLAXIUS EPISCOPUS.

152, 153 Salvator stellis circundatus benedicens, RAGUS. A. f. SALUS TUTA.

154 Herculis columnæ, CAROLUS QUINTUS F. a. S. AMBROSIUS.

155, 156, 157 FRANC. D. G. MONA. ET OSN. EC. CONMI. AD. F. a. S. PETRUS ET PAULUS &c.

158 Duo fodientes coram viro conspicuo & proceræ staturæ gladioque cincto, adstantibus copiis, infra posito insigni, FODERUNT FOVEAM 1610. F. a. averso viro isto principe, qui dextram ori admovet, tergaque dantibus istis copiis, fodientes isti duo in

in foveam incidunt, INCIDERUNT IN EAM 1611.

159 Ansatus & quadratus, insigne electorale & ducale habet Saxonicum, 1567. HIFGK he. Herzog Johan Friderich Geborner Kuhrfürst F. a. 3. gr. Conf. Juncker in Vita Lutheri p. 235.

160 FRID. III. subtus insigne Electorale Sax. SECULUM LUTHERANUM F. a. JOH. GEORG, Subtus scutum idem sed in quinque areolas, ut illud in duas divisum, VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM.

161, 162, 163. Brunsvicenses splendidi, quos vocant Löwenpfennige.

Usque ad 182. medii & minoris moduli in obitum JOH. GEORG. III. & IV. Electorum Sax. AUGUSTI, FRIDERICI, CHRISTIAN. LUDWIG, JOH. FRIDER. ERNEST. AUG. Electoris & Ducum B. & L. WILHELMI, FRIDERICI & JOH. WILHEMI Dd. Sax. JULIANÆ LANDGRAV. HASSIÆ, CLARÆ & SOPHIÆ ELISAB. Duciss. B. & L. MARIÆ DUCISS. S. nat. PR. TREM ELISABETH Duc. Sax. ANTHON. GUNTH. COMIT. OLDENBURG.

183 CUM DOMINO BENEFACIENDO BENEFACIET.

184 SIC BENE WILHELMUS FECIT FACIETQUE &c.

185, 186, 187, Ad pacis Osnabr. & transactionis Noribergensis memoriam spectant. Iste quidem rotundus, GOTT DEN HERREN LOBT UND EHRT, DER DEN FRIEDEN UNS BESCHERT; Ille vero quadratus & moduli majoris insignia præ se fert civitatis Noricæ, sub quibus hæc sunt posita: GEDECHTNIS DES FRIEDENS VOLZIHUNGS SCHLUS IN NURNBERG 1650. 16. Jun. quæ circumdant; IMPER. FERDINANDO III. P. F. AVGUSTO A. f. duæ manus ex orbis sphæra ad cœlum erectæ tanquam orantes, & desuper corona ornatæ cum verbis, MAGNAS FERTE DEO GRATES pro paCe reLata; In hoc vero puer equitat in arundine longa FRIDEN GEDECHTNIS IN NURNBERG 1650. F. a. Aquila biceps, VIVAT FERDINAND III ROM. IMP. VIVAT.

188 Itidem quadratus, in quo octo pueri puellæque manus ad ’ in radiis coruscans præ gaudio attollunt, WENN SIE REDEN, WILL ICH HOEREN Es. 65. Infra AUGSPURGER KINDER FREUDENFEST

F. a.

F. a. Der sItzet an Der höChſten Stätt hats FeInDes LIſt getILget. 13. Aug.

189 Itidem quadr. Caput laureatum M. DE SURVILLE. Hic ex argento potorio & eſcali Domini de Surville factus eſt.

190 Semiuncialis LUD. XIIII. D. G. FR. ET NAV. REX. IMP.

191 & 192. PIUS III. P. M. F. a. Leo tenens vexillum BONONIA MATER STUDIORUM. Julii II. alius.

193 ad 197. ERICI ET JULII DUCUM BR. ET L.

198 ALIIS INSERVIENDO IPSE CONSUMOR.

199 ALBERTUS DG. MAR. BRAND. DUX. PRUSS.

Uſque ad 204. CHRISTIANUS COMES ET DOMIN IN MANSFELD. F. a. CHRISTUS VIVIT ET JUVAT.

205 FRANCISC. DG.--SANCTUS KILIANUS.

206 B. ALOISIUS GONZAGA PROTECTOR MANTUANUS.

207 Juſtitiæ typus, JUSTITIAM DILIGITE.

208 INNOCENTIUS XI. P. M. F. a. SANCTUS PETRUS AP.

209 CLEMENS X. PONT. MAX. A. f. PORTA COELI 1675.

210 SEDE VACANTE MDCLXX. Effigies Spiritus S. SPIRAT UBI VULT.

211 Facies Pontificis cum triplici corona, inversa vero Diaboli REDDE RATIONEM DE LUC. XVI. Fig. Cardinalis pileati STULTI CORDIS. De hujus farinæ nummis Vid. Jobertus l. s. c. p. m. 13. Hortleder l. 1. c. 47. p. m. 1813. & seqq. & Tenzel l. sc. p. 889. Autorem eorum faciunt Nicolaum Amsdorfium, quasi ex ciboriis SS. tales fieri jusserit.

212 FRANCISCUS CARD. A DIETRICHSTAIN EPS OLOMV. BV. in ulnis tenet puerulum Jesum SUB ALARUM TUARUM.

213 CAROLUS DG. DESIGNATUS REX SVECIÆ F. a. יהוה JEHOVAH SOLATIUM MEUM.

214, 215 JOHANN VON GOTTES GN. ERB ZU NORW. HER ZU SCHL. HOL. Folium urticæ.

216, 217 Rex equo insidens. F. a. CHRITIAN DER--VAN GOTTES GNA. KON. IN DENNENMARCKEN.

218 Indicus, figura Draconis notatus.

219 Idem.

220 Sinicus, glandem diceres argenteam aut globulum ſeptem foliolis & rota notatum ſex denariorum ſuperans valorem, qui a ſuis TIKEL appellatur.

Ad 240 uſque Turcici & Arabici.

Ad 246. Equites Moſci, de quibus evolvendus Olearius in itinerar. p. m. 224. & præced. 223.

Uſque ad 257. Lotharingici &c.

258 Gladius & clavis in form. crucis, TARPAT. F. a. PETRE ORA PRO ME.

259 Majoris moduli NICOLAUS DE PONTE DUX S. M. VENE. F. a. Diva dextra tenet ramum, ſiniſtram imponit leonis cubantis capiti; MEMOR ERO TUI JUSTINA VIRGO.

260 Semiuncialis, Dux coram S. Marco, flexo genu. F. a. Sedet Salvator TIBI SOLI GLORIA.

261 Providus Dei oculus &c. CONSILIO ET INDUSTRIA. F. a. LEOPOLDUS HUNG. ET BOH. REX CORON. IN REGEM ROMANORUM 1. Aug. 1658.

262 Idem Dei oculus &c. AMORE ET TIMORE F. a. JOSEPHUS REX UNGARIÆ CORONATUS IN REG. ROMAN. AUGUSTA, die 26. Jan. 1690.

263 Aquila in nubibus sceptrum tenens, PATRIIS VIRTUTIBUS ORBEM, Inf. FIDES ET FELICIT. PROV. F. a. Sub corona SUPREMO BORUSSIÆ DUCI FRIDERICO III. ELECT. BRAND. HOMAG. PRÆST. die. XXIII. Jan. MDC. XC.

Ad 267. quadrati, MINDA OBSESSA 1634.

268 Jacob. I. ROSA SINE SPINA &c.

269 GUSTAVUS ADOL. D. G. REX SVEC. F. a. STANS ACIE PUGNANS VINCENS MORIENSQUE TRIUMPHANS. 1632. 6. Nov.

270 & 271. Decem & pluribus non raro venivevunt uncialibus, sed de his præstat hic tacere, quam scribere aut loqui, quemadmodum & varios alios prætermittimus.

272 Amuletum Ansatum;

†
† DABI †
† HABI †
† HABER †
† HEBER †

Conf. Pignorius, de characteribus Ægyptiis, ubi hæreticorum præcipue ex gemmis in medium profert amuleta. In hoc nostro an non lateat אב בן רוח, judicent alii. Spartianus in Caracalla prodit, Damnatos fuisse, qui tertianis & quar-

tanis

tanis amuleta, collo propendentia geſtarent. Sanctiſſima Dei nomina, EL. ELOHA, ELOHIM, SABAOTH ELION &c. talibus inſcripſiſſe hypocritas dicit Patinus in Hiſt. Numiſmatum cap. 14. p. m. 99.

Ex quinquaginta & pluribus miſſilibus ut vocant, ſeu maximi moduli, (Medaillons) Imperatorum LEOPOLDI, JOSEPHI, CAROLI, REGUM ET REGINARUM, ANGLIÆ, SVECIÆ, BORUSSIÆ, DUCUM ET PRINCIPUM EXPEDITIONUM &c. &c. en unicum.

CAROLUS XIII. D. G. REX SVE. Fa. Ad cornua lunæ leo dormiens PER AMICA SILENTIA LUNÆ, infra OCULIS DORMITAT APERTIS. Mentionem hujus facit Autor des beſchäfftigten Secretarii Expedit. I. p.m. 14. d. 4. Jan. 1710. Eodem menſe ejusdem anni quandoquidem, nec numum, nec ſcriptum illud quisquam adhuc viderat, tribus ſtudioſis, qui cum aliis quadraginta interfuerant Collegio Emblematico-Oratorio, dabantur, elaboranda tria emblemata de rebus ad Turcum, Gallum & Svecum pertinentibus, ut in publica panegyri vires eorum, & lingvam tentarent Auditores. Primus ut demonſtraret Principem Chriſtianum adverſus Principem Chriſtianum cum Turco fœdus inire poſſe, & præcipue, ſi fiat urgente neceſſitate defendendi cauſa, ſigebat emblema hoc; Conſpiciebatur dextra dextræ ſe inji-

ciens, in illius manicæ limbo tres coronæ, in hujus tres lunæ falcatæ nitebant, apposito lemmate:

FACIT HOC VIS NESCIA VINCI.

Weil es dem Feind gelungen
Bin ich hiezu gezwungen.

Alter, ut doceret male dixisse Antecessorem, fœdus tale cum Turco iniri posse, negabat, & ex quo emblema posuerat, tria lilia nimirum, in medio campi cœrulei, quorum latus dextrum cingebant tres lunæ falcatæ, sinistrum, tres coronæ, addebat lemma:

TROS RUTULUSVE FUAT

Dafern ich nur mein Ziel
Erhalt unds Königs-Spiel
Gilt mirs allzeit gleich viel
Es mag seyn wer es will.

Tertius, jam ipse Rex Sveciæ fœderis hujus cum Sultano facti rationem dabat, & pro eo illustrando emblema hoc figebat; Leonem scil. a venatoribus sauciatum, receptis vero viribus, ad suos, vindictæ cupidum, revertentem, in via simul venatores insequentem, apposito lemmate:

-- DUM PERIISSE VIDEBAR
CELSIOR EXSURGO

Noch bin ich nicht todt
Drum hats auch keine Noht

Meine

Meine Kräffte geben
Mir ein neues Lebn.

De insigni, seu tribus coronis Svecicis notamus; Vulgarem sententiam eorum, qui putant tres coronas pro insigni a Margareta Woldomari III. Daniæ Regis filia præliis aliquot Daniæ Svediæ & Norvegiæ Domina facta, primum usurpatas fuisse, ceu statuit Gottfried Schulze in Chronico A. C. 1375. p. m. 81. & seqq. evertit æri incisa priscorum Sveciæ Regum antiquorum numorum aliquot seculis ante cusorum quam tria hæc Arctoa regna sub Margareta Danica in unius Regni corpus jungerentur, tabula, unde alienis a studio partium palam liquet, tres coronas non paucis annorum centuriis ante hanc trium regnorum Sveciæ, Daniæ Norvegiæque conjunctionem, fuisse Regni Sveconii propria ac peculiaria insignia; Numorum vero horum genuinæ vetustatis archetypa servantur, visunturque in *Eliæ Brenneri* Sveo-Gothico Numophylacio, ex quibus antiquissimi sunt (1) Olai (2) Amundi, qui vixit A. C. M XIX. (3) Philippi A. C. M LXXX. &c. De tribus coronis his etiam egit B. Tenzelius l. c. A. 1695. p. 697. & seqq. De leone veteri Gothorum insigni, qui & reperitur in Amundi, at non Olai numo, Johann Marinus l. 7. rerum Hisp. c. 3. Quod vero supra tria flumina assultat, pro insigni argumento posset esse Regi Carolo XII. post infaustum prælium tria flumina

mina ſuperanti, in pedes jam erecto ac reverſo, gratulantibus.

Ex Unicialibus apponere placet 6. genuinum admodum CHRISTIANI DUCIS BR. ET LUNEB. &c.

GOTTES FREUND
DER PFAFFEN FEINDT.

quem Dn. Jacob a Mellen in ſpecimine Sylloges uncialium, p. m. 10. & ſeqq. ex Liborii Paderbornenſis ſtatua conflatos eſſe putat, ego vero non tam ex ſtatua, quam ex ſarcophago ejus argenteo, Lippiæ, & quidem in ædibus Schurmannianis in platea Suſatenſi ſitis, factos eſſe, novi. Interim non multum poſt ex his reſtituendus erat Liborii loculus. Viſitur hic hodie Paderbornæ a tergo ſummi altaris cathedralis inauratus ex ſolido argento, ita ut in ſingulis, h. e. ſedecim angulis inoffenſus offendatur uncialis olim ex loculo factus, id quod teſtatur ipſe capulus, dum exhibet LIBORIUM REDIVIVUM.

2 DAVID COM. E. DO. I. MANSF. &c. BEI GOTT IST RATH UND THAT. 1609.

3 JOHANN: F. ELE. &c. MAURI. DUX SAX. FI. JUS.

4 Linea Vinarienſis;

5 TANDEM BONA CAUSA TRIUMPHAT MDLXVII. GOTHA CAPTA

CAPTA &c. Conf. Tenzelii Saxonia numismatica.

6 JOANNES, 1530. 25. Junii DOMI. TURRIS FORTISSIMA JOH. GEORG. 1630. 25. Junii CONFESS. LUTHER. AUG. EXHIBITÆ SECULUM.

7 HENRIC. DGR. DUX BRUNS. LUNEB. A. f. IN GOT. GEW. H. I. GST. D. H. GEF. D. M. G.

8 ALIIS INSERVIENDO IPSE CONSUMOR.

9 AUGUSTUS &c. Campana a tribus pulsatur manibus TANDEM PATIENTIA VICTRIX &c.

10 GEORGIUS GUIL. DG. DUX. BR. ET LUNE. Columna cujus coronæ infixa est pavonis cauda in medio continens stellam FAVENT CONSTANTIBUS ASTRA 1693.

11 CHRISTIAN LUDOVICUS DUX. BR. ET LUNEB. NATUS Anno 1622. d. 25. FEB. REXIT DUCAT CALENBERG. ANNOS VII. CELLENS, GRUBENH. ET COMIT HOYENS ET DIEPH ANNOS XV. DENATUS Anno 1665. 15. DIE MART.

12 D. G. RUD. AUG. ET ANTH. ULR. &c. UT FRONTIBUS ITA ET FRONDIBUS CONJUNCTISSIMI.

13 D. G. RUD. AUG. ET ANT. VLR. DD. BRUN. ET LUN. duo fulcra, quibus signa militaria sunt imposita cum mitra Ducali DUOBUS FULCRIS SECURIUS 1695.

14 D. G. RUDOLPH. AUGUSTUS DUX. BRUNS. ET LUN. Tympano & reliquis signis militaribus, tormentis & bipennibus, superimpositus est liber, in quo, I. MACCABÆOR CAP. 15. V. 33. 34. & in limbo JURE ET ARMIS.

15 GUSTA. ADOL. MAGNUS SVE. GOT. W. REX AUGUSTUS In medio ÆTATIS SUÆ 38. F. a. Sub corona regia; JOH. 10. EIN GUTER HIRT LESSET SEIN LEBEN FUR DIE SCHAFE. OSNABR. in limbo DUX GLORIOSUS PIUS HEROS TRIUMPHATOR FELIX.

16 SRma PRINC. ET DD. JULIANA LANTGRAV HASS. reliqua ut supra.

17 MONAST. WESTPH. AD OBED REDUCTUM ut supra.

18 FRI-

18 FRIDERICUS CHRISTIANUS L. B. A PLETTENBERG NATUS A. 1644. d. 8. AUG. ELECTUS EPISCOPUS AC PRINCEPS MONASTERIENSIS Anno 1688. d. 29. JULII DENATUS A. 1706. DIE 5. MAII.

19 In clypeo S. Paulus Apoſt. dextra gladium, ſin. librum apertum tenens, CAPITULUM CATH. MONAST. SEDE VACANTE. Templum cathedrale DEUS ADJUTOR ET PROTECTOR NOSTER.

20 S. Petrus dextra duas claves, ſiniſtra librum clauſum tenens, ad cujus pedes rota in clypeo & mitra Epiſcopalis, CAPITULUM CATHEDRALE OSNABRUGENSE SEDE VACANTE. F. a. Templum cathedrale, cui occidit ſol, ſub viginti quinque vero ſtellis diverſæ magnitudinis OCCIDUO PANDUNTUR SIDERA PHOEBO, & in margine ORIETUR IN TENEBRIS LUX TUA ET TENEBRÆ TUÆ ERUNT SICUT MERIDIES ISAIÆ 58.

21 Aquila biceps & inſignia Noribergenſia, quæ illa ungvibus in quibus ſceptrum & gladium gerit, tuetur יְהֹוָה FERDINANDI II. ROM. IMP. HUNG. ET BOH. REGIS PAT. PATRIÆ F. a. Inter ſeptem

tem insignia, liber, cui superimpositus pileus, & inquo ΤΗ ΑΡΕΤΗ ΤΕ ΚΑΙ ΤΙΜΗ & paulo inferius M. DCXXXIII. In margine vero PRIVIL. DOCTOR. COSS ET SEN RE NORIMB. PROM. Cv. ALTORFI.

Ex variis moduli medii & minoris numis argenteis, qui vulgaris monetæ vices non subierunt, duo horum argenteorum agmen claudant, Vg.

ÆGIDIUS STRAVCHIUS SS. TH. D. facies imberbis sangviuis & succi plena A. 1675. d. 30. Sept. GEDAN. PROFECT. F. a. Idem Strauchius naso acuto ore macilento & barba promissa, ÆGIDIUS STRAUCHIUS SS. TH. D. 1678. d. 10. Jul. rediit; Et

Pictacter palliatus & pileatus obvelatis oculis sub sinistro brachio librum gerens, quique ad saxum pedem fortiter offendens, lapsum minatur, coram quo puer nudus, cujus caput pro nimbo aut radiis pavonum pennæ circumdant, ventre turgido admodum, dextra porrigens tintinnabulum, pone tergum vero crumenam numis plenam sinistra tenet, adjecta epigr. Der unbesonnene Pietist, der reine Lehrer ohne Gottesfurcht F. a. Gal. 5. 14. 15. alle Gesetze werden in einem Worte erfüllet / in dem: Liebe deinen Nechsten als dich selbst. So ihr euch aber unter einander beisset und fresset / so sehet zu / daß ihr nicht untereinander verzehret werdet. 1693.

ÆREI,

ÆREI, UTRIUSQUE, MAJORIS ET MINORIS, MODULI.

1 JANUS RATITUS.

2 Victoria ſtans coram palma, cui appenſus eſt clypeus.

3 Fam. Farſulejæ Libertatis caput A. f. Mars in conſcendendo currum adſtanti ſiguræ togatæ dextram porrigit, MENSOR.

4 CÆSAR DICTATOR Vid. Diſſ. II.

5 Caput Cæſaris laureatum CÆSAR IMP. P. M. Temo, globus, cornucopiæ caduceus, pyramis innitens globo tripodi ſuperimpoſito, aliaque figura, quam pro albogalero, ut quidam putant, habere non poſſum, LUCIUS MUSSIDIUS LONGUS.

6. 7. 8. 9. CÆSAR PONT. MAX. Vid. Diſſert. II.

10 DIVUS AUGUSTUS PATER S. C. Templum, PROVIDENTIA Vid. Diſſert. III.

11 TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. IMP. VIII. De hoc evolvatur Diſſert. V.

12 T. CÆS. IMP. PON. TR. P. COS.-- Figura ſtans ſiniſtra innititur columnæ, dextra bacillum, ut videtur, tenet, SECURITAS AUGUSTI.

13 GERMANICUS CÆSAR Vid. Diss. V.

14 Caput laureatum, CAJUS CÆSAR AUG. GERMANICUS PON. M. TR. POT. Vesta sedens, dextra pateram, sin. hastam, tenet VESTA S. C.

15 TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. POT. IMP.---Figura pileata LIBERT. S. C.

16 Cap. laur. TI. CLAUDIUS CÆSAR &c. V. Diss. VI.

17 Idem minoris moduli.

18 Cap. laureatum TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. Figura togata & pileata sinistra victoriolam, ut videtur, tenet, dextra in altum porecta, detritis literis.

19 NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMAN. IMP. Porta triumphalis cum duobus trophæis & figura equestri militari S. C.

20 Idem minimi moduli.

21 NERO CLAUDIUS CÆSAR &c. Portus Ostiensis V. Diss. VII.

22. 23. NERO CLAUD. CÆS. &c. Roma insidens spoliis Conf. Diss. VII.

24 NERO CÆSAR &c. V. Diss. VIII.

25. 26. IMP. NERO &c. Templum Jani V. eandem Diss. VIII.

27 NE-

27 NERO CLAUD. CÆS. SECURITAS AUGUSTI. Evolv. Diss. IX.

28, 29 NERO CL. CÆS. &c. DECURSIO. V. Diss. eadem IX.

30 NERO CÆSAR AUGUSTUS Victoria dextra clypeum gerit, cui inscriptum SPQR. S. C.

31 IMP. NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GERM. P. M. TR. P. P. F. P. P. Roma vestita & galeata insidens spoliis, dextra hastam tenet, sinistro brachio clypeo innititur, ROMA S. C.

32 SERGIUS GALBA &c. Vid. Diss. IX.

33 SERGIUS GALBA, ALLOCUTIO Vid. Ibid.

34 IMP OTHO CÆSAR, SECURITAS. Legatur eadem Dissert.

35 IMP. CÆS. VESPAS. CONSECRATIO V. Diss. XII.

36, 37, 38 IMP. T. CÆS. VESP. JUDÆA CAPTA V. Dissert. XIII.

39 T. CÆS. VESP. Victoria inscribit clypeo, Conf. Diss. XIV.

40 IMP. CÆS. VESPASIANUS PAT. PATR. P. M. TR. P. COS. Figura sedens dextra pateram, sinistra cornucopiæ, tenet, CONCORDIA AUG. S. C.

41 T. CÆS. VESP. IMP. PON. M. TR. POT. COS. II. Victoria galeam conculcans clypeo arbori affixo inſcribit VICTORIA AUG. S. C.

42 IMP. T. CÆS. VESP. AUG. P. M. TR. P. COS. VIII. Figura pacis dextra ramum, ſiniſtra cornucopiæ, tenet, PAX AUGUSTI.

43 Idem.

44 T. CÆS VESPASIANUS AUG. COS.-Figura ſiniſtra cornucopiæ, dextra caduceum, tenet FELICITAS PUBLICA S. C.

45 --VESPASIAN. AUG. detritis reliquis.

46 T.---COS. VI. CENSOR Ara ſeu templum, PROVIDENTIA. S. C.

47 IMP. CÆS. DOMIT. AUG. &c. Vid. Diſſ. XV.

48 IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS.--Imperator ſtans galeatus dextra haſtam, ſiniſtra parazonium, tenet, ſiniſtrum pedem globo imponens VIRTUTI AUGUSTI S. C.

49, 50 IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XIII. CENS. PERP. P. P. Monetæ typus, dextra ſtateram, ſiniſtra cornucopiæ tenet, MONETA AUG. S.C.

51 IMP.

51 IMP. NERVA CÆS. AUG. &c. LIBERTAS PUBLICA Vid. Diff. XVI.

52 IMP. NERVA --- Duæ dextræ junctæ CONCORDIA EXERCITUUM.

53 IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO SPQR. OPTIMO PRINCIPI. V. Diff. XVII.

54 IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. Figura pileata infidens fpoliis, coram trophæis, dextra caput fuftinens, SPQR. OPTIMO PRINCIPI.

55 IMP. CÆS. NERV. TRAJANO AUG. GER. DAC. Figura muliebris feminuda ftans dextramque retrahens coram clypeo palmæ infixo, cui infcriptum DACIA; SPQR. OPTIMO P.--

56 IMP. CÆS. TRAJANO AUG. GER. DAC. Figura equeftris dextram ad jaculandum elevat, SPQR.

57 IMP. CÆS. NERV. TRAJANUS AUG. GER.---Figura fedens, DACIA.

58 --- AUG. GER. DAC. P. M. --Figura finiftra veftem levans, dextra porrigit aliquid.

59 IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM. P. M. Figura fedens, dextra ramum,

mum, ut videtur, porrigens, ſiniſtra ſellæ innitens TR. POT. COS. -- S. C.

60 IMP. CÆS. NERVAN. --- Figura temonem dextra, ſiniſtra cornucopiæ tenet.

61 IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO &c. Figura ſtans; dextra ramum ſin. cornucopiæ SPQR. OPTIMO PRINCIPI S. C.

62 IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM. --- Victoria cum clypeo, cui inſcriptum SPQR. TR. POT. COS. III.

63 IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS --- Figura muliebris florem dextra monſtrans, ſiniſtra veſtem levat P. M. TR. P. COS. III. Vid. Diſſ. XVIII.

64 IMP. CÆS. TRAJANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. Figura ſtolata ſtans dextra bilancem, ſin. cornucop. tenet MONETA AUG.

65, 66 HADRIANUS AUGUSTUS P. P. Figura muliebris dextra palmam, ſiniſtra cornucopiæ tenet, ad cujus pedes ab utraque parte puerulus, HILARITAS P. R. COS. III. S. C.

67 IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. Figura ſtolata ſtans dextra caduceum, ſin. cornucopiæ tenet, PONT. MAX. TR. POT. COS. III. C. S.

68 HADRIANUS AUGUSTUS COS. III. P. P. A. f. Figura ſtolata dextra haſtam tenet, ſiniſtra porrigens aliquid, pede ſiniſtro aliquid calcans. ---

69 HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. Figura, quæ dextra bacillo temonem globo innitentem tangit, ſiniſtra cornucopiæ tenet, FORTUNA AUG. S. C.

70 HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. Figura ſtans dextra caduceum ſin. cornucopiæ tenet FELICITAS AUGUSTI.

71 HADRIANS AUG. Cetera, igni tota hæc moneta eſt exoſa.

72 HADRIANUS AUGUSTUS--Figura galeata dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenens, ſiniſtro pede innititur globo COS. III. P. P. S. C.

73 Caput Antinoi ΙΕΡΑΣΤΝΚΑΗΤΟΣ. Duæ figuræ muliebres, altera dextram elevans ſiniſtram ad lumbos mittit, turrito capite, hujus dextram altera prehendit ſiniſtra, dextram in alteram a ſe mittens partem. Anno 1698. Janus Rutgerſius, qui erat Joh. Reiſkius Rector Scholæ Guelpherbytanæ inſurgebat Joh. Henr. Eggelingio ſcripto ſatyrico, cui anſam dederat Orbis ſtagneus Antinoi, quem quidem genuinum eſſe, ſtatuerat Eggelingius, licet uſualis vicem nunquam ſuſtinuiſſet, Reiſ-

kius vero pro adulterino & reprobo habebat. Non necesse fuisset ejus causa fingere Parnassia somnia, aut virum rei numariæ peritissimum asperioribus, ob levissimum errorem, si modo error vocandus, perstringere verbis. Est sane genus hominum, hodie præcipue, quod reliquos tanquam rudes, inertes, barbaros, exiguis eruditionis & judicii præsidiis munitos alto arrogantique supercilio despicit, se vero suaque omnia magnifice prædicat; & exquisitis laudibus gloriose prosequitur. Hi thrasones cum Chinensibus eo sunt ingenio, ut se duos habere oculos, reliquos unum aut etiam penitus cœcutire dicant, aut scribant. Et, ubi aperte non licet, vel larvas proferunt, vel ex Parnasso loquuntur, & obtrectando & detrahendo optimos viros, quibus fama, industria, eruditio, candor & pietas dudum conciliavit applausum, confodiunt, & gyris suis, quibus nescio, quantam adscribant virtutem, neci dant. Interim nec adversum Rutgersium caussam dico, nec Eggelingio advocatus venio, mordacia verba hystricum setas & chartas dentatas Christiano homine indignas, odi. Qui salem habet Plautinum, facile, si vult, fricare potest.

74 ANTONINUS AUGUSTUS PIUS P. P. TR. P. COS. III. Victoria hastæ infixa spolia gestat. Vid. Differt. XIX.

75 ANTONINUS AUG. GENIO SENATUS Vid. Diſſ. XX.

76 ANTONINUS AUG. PIUS. P.P. TR. P.XI Figura ſtans dextra duas ſpicas tenens, appoſito vaſe, e quo eminent aliæ ſpicæ, dextra raſtrum, ut videtur, gerit ANNONA AUGUSTI.

77 ANTONINUS AUG. PIUS PP.COS. III. Fig. ſtans, dextra bilancem, ſiniſtra cornucopiæ tenet MONETA AUG. S.C.

78 ANTONIN — Figura ſtans dextra tenens caduceum —— TAS.

79 IMP. ANTONINUS AUG. P.— Figura dextra bilancem, ſin: cornucopiæ tenet. COS. III. S. C.

80 ANTON. AUG. PIUS P.M. TR. P. COS. III. Caduceus aſpergillum & tria alia ſigna ad ſacrificia pertinentia, LEUCA.

81 ANTONIN[illegible] AUG. PIUS P. P. TR. P. COS. III. Figura ſedens dextra terram verſus inverſam tenet haſtam elevata ſiniſtra reſpicitque -- AUG. SC.

82 ANTONINUS AUG. PIUS P. P. Figura inſidens congiario dextra elevata tenens aliquid, ſiniſt. cornucopiæ gerens TR. POT. -- IIII. S.C.

83 ANTONINUS AUG. PIUS P.P. TR. POT. XVII. Figura ſedens dextram porrigit, ſiniſtra ſcipionem ſeu etiam haſtam monſtrat INDULGENTIA AUG. COS.

84 ANTONINUS AUG. PIUS Figura ſtans dextra tenens aliquid, ad cujus pedes ara aut etiam columna ſiniſtra haſtam gerit GEN — SENATUS.

85 ANTONINUS AUG. —

86 ANTONINUS AUG. PIUS P.P. Fig. dextra ramum, ſiniſtra ſpolia tenens.

87 DIVA FAUSTINA Fig. muliebris dextra aliquid, ſiniſtra haſtam tenet. — STAE. De capite cincto, capillis convolutis, vitta, diademate mulierr. Ill. Cuperus, in Apotheoſi Homeri, quam ego ex ipſius liberalitate poſſideo, p. 156.

88 DIVA AUGUSTA FAUSTINA Fig. ſtans, haſtam dextra tenet geniculatam, ſin. cornucopiæ, S. C.

89 DIVA AUGUSTA FAUSTINA Fig. foculo aliquid injiciens, ſiniſtra tenens aliquid, PIETAS AUG. S. C.

90 Idem.

91 M. AUREL ANTONINUS AUG. TR. P. XXXIII. Fig. ſtans, dextra caduceum, ſiniſtra haſtam tenet, FELICITAS AUG. IMP. X. COS. IIII. P.P.

92 M. AUREL. ANTONINUS AUG. GERMANICUS P. M. Fig. militaris dextra haſtam, ſin. clypeum tenet TR. P. XVIII. Imp. II. COS. III. S. C.

93 M. ANTONINUS AUG. — XIX. Mars gradivus dextra victoriolam, ſiniſtra ſpolia tenet – COS – S. C.

94 M. ANTONINUS AUG. -- Imperator eques cum militibus præeunte uno. Credo ipſum proficiſci ad bellum Marcomannicum, de quo legatur Capitolinus.

95 M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVII. Fig. ſedens, dextra victoriolam, ſin. haſtam tenet IMP. VI. COS. III. S. C.

96 M. ANTONINUS AUG. GERM. SARMATICUS, Fig. ſtans, dextra pateram, ſin. haſtam tenet, – EMENTIA. A.

97 FAUSTINA AUGUSTA, Figura muliebris ſedens, pateram præbens ſerpenti in caudam erecto SALUTI AUGUSTÆ.

98 Idem, ſed minoris moduli.

99 FAUSTINA AUGUSTA Fig. dextra palmam, ſiniſt. puerulum gerit. ITAS. S. C.

100 L. AUREL. VERUS AUG. ARMENIANUS. Victoria utraque manu trophæum tenet, ad cujus pedes ſedet provincia Armenia, VIC. AUG. TR. P. IIII. IMP. II COS. II. S. C.

101 IMP. CÆS. L. VERVS Figura stolata dextra elevata aliquid tenens, sinistro cubito columnæ innitens, PIET. AUG. S. C. TR. P.

102 LUCILLÆ AUG. ANTONINI AUG. F. Figura stans, dextra pomum, sinistra hastam tenet, VENUS. S. C.

103 M. COMMODUS ANT. P. FELIX AUG. BRIT. Figura sedens dextra temonem, sinistra cornucopiæ tenet FOR. RED. P. M. TR. P. XIII. S. C.

104 L. AUREL. COMMODUS AUG. TR. P. Fig. galeata injiciens aliquid foculo ardenti dextra, sin. clypeum tenet & hastam COS. II.

105 M. COMMODUS ANTON. AUG. PIUS BRIT. Victoria sedet in clypeo inferius VIC. BRIT. in limbo COS. III.

106 Missile, (un Medallion) nitidissimum, L. SEPTIMIUS SEVERVS PERTINAX AUG. IMP. VII. Fig. galeata, sinistra clypeum, dextra hastam tenet, adest etiam vestis loricata, DIVI M. PII F. P. M. TRIB. POT. IIII COS. II. P. P.

107

107 IMP. CÆS. M. AUREL. ANTONINUS AUG. (Caracallæ hic est) Templum s. theatrum septem columnis innitens in cujus aditu figura turrita, utraque manu aliquid tenens conspicitur MET. TIM. TYRO. COL.

108 IMP. SEV. MACRINUS AUG. Duæ dextra junctæ CONCORDIA EXERCITUUM.

109 JULIA MAMMÆA AUGUSTA Figura stans sinistra columnæ innitens, dextra tenens aliquid, FELICITAS PUBLICA S. C.

110 IMP. ALEXANDER PIUS AUG. Fig. dextra spicas ad aram admovens, sinistra cornucopiæ tenens, PROVIDENTIA AUG. S.C.

111 IMP. ALEXANDER PIUS AUG. Fig. dextra tenens aliquid, sinistra vestem levat, SPES PUBLICA S.C.

112 IMP. ALEXANDER PIUS AUG. Figura nuda gradiens (solis hæc est) dextra elevata, sinistra, ut uidetur, flagrum tenet, P. M. TR. P. XIII COS. III. P.P.

113 IMP. MAXIMINUS PIUS AUG. Dea Salus sedens dextra patinam præbet serpenti, SALUS AUGUSTI S.C.

114 Idem.

115

115 IMP. MAXIMINUS PIUS AUG. Figura ſtans, dextra bacillum tenet, PROVIDENTIA AUG. S. C.

116 Idem.

117 IMP. MAXIMINUS PIUS AUG. Fig. dextra ramum attollens, ſin. bacillum tenet, PAX AUGUSTI.

118 – MAXIMINUS PIUS, detritis reliquis.

119 IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANUS AUG. Fig. ante aram cum patera ſtans, Siniſtram pectori admovet, P. M. TR. P. II. COS P.P. S.C.

120. 121. 122. Idem.

123 IMP. CÆS. ANT. GORDIANUS AUG. Figura muliebris dextra teſſeram frumentariam, ſiniſtra cornucopiæ tenet, LIBERALITAS AUG. S. C.

124 IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. Fig. dextra caduceum, ſiniſtra cornu copiæ tenet, FELICITAS AUGUSTI. S.C.

125 IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. Figura gradiens, dextra pilum, ſin. globum tenet. S. C.

126 Idem.

127 IMP. GORDIANUS PIUS P. FEL. AUG. Libertatis typus, LIBERTAS. S.C.

128 IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. Mars gradivus cum hasta & clypeo MARTEM PROPUGNATOREM S.C.

129 IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. Figura dextra sertum, sinistra baculum tenet, LÆTITIA AUG. N. S.C.

130 IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. Dea salutis cum patera & serpente, sinistra hastam tenet. SALUS AUG. S. C. (Philippi patris hic est)

131 IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. Imperator eques, ADVENTUS AUG. S. C. (filii hic est)

132 MARCIA OTACIL. SEVERA AUG. Figura sedens dextra pateram, sin. cornucopiæ tenet CONCORDIA AUGG.

133 M. JULIUS PHILIPPUS CÆS. Fig. militaris dextra globum, sinistra hastam, tenet PRINCIPI JUVENT. S.C.

134 IMP. C. M. R. TRAJANUS DECIUS AUG. Duæ figuræ muliebres PANNONIÆ. Procul dubio hæ figuræ superiorem & inferiorem notant Pannoniam.

135

135 IMP. CÆS. C. VIB. TREB. GALLUS AUG. Fig. dextra ſertum, ſeu corollam, ſiniſtra ramum tenet. —

136 C. VIB. --- VOLUS. --- Fig. dextra pateram, ſin. cornucopiæ tenet CONCORD. — AUG. S. C.

137 IMP. C. P. LIC. GALLIENUS AUG. Fig. ſtans, dextra pateram, ſin. cornucopiæ tenet. -- DIA EXERCIT. S. C.

138 -- P. GALLIEN. Figura nitida, ſedens, dextra temonem bacillo tangens, ſin. cornucopiæ tenet FORTUNÆ AUG.

139 IMP. C. POSTUMUS AUG. Caput radiatum. A. f. Figura ſedens dextra temonem, ſin. cornucopiæ tenet, FORTUNA AUG. Bonam hiſtoriæ hujus Poſtumi partem ante annos aliquot, ſtilo non ineleganti, nobis conceſſit, JOACH. MEIER, JUD. & Lycei Göttingenſ. Profeſſ. in commentario de nummo quodam aureo Poſtumi, cui etiam junxit argenteum ejusdem Tyranni. De triginta iſtis tyrannis Trebellius Pollio, qui claruit A. C. 320. & de imperio Valeriani, Gallieni, Claudii ac XXX. tyrannorum ſcripſit, ita ſentit: *Tanta eſt horum hominum obſcuritas, qui ex diverſis orbis partibus ad imperium convolarunt, ut non multa de his vel dici poſſint, vel de doctioribus requiri.*

140

140 IMP. CÆS. VICTORINUS P. F. AUG. Caput radiatum Figura pileata dextra bacillum, ſiniſtra cornucopiæ, tenent PROVIDENTIA AUG.

141 IMP. CÆS. VICTORINUS P. P. AUG. Figura muliebris gradiens dextra elevata, ſiniſtra tenens aliquid. Solis imaginem eſſe puto.

142 ---TETRICUS CÆ.--SPES PUBLICA.

143 Facies radiata barbata. ETRICUS P. F. A. Figura militaris, dextra peltam, ſiniſtra haſtam tenet---AS AUGG.

144 Caput nudum & criſpum--CUS CÆSAR AUG. P. P. PF. Figura ſtans, dextra inſtrumentum aliquod, ſiniſtra pateram frumentariam tenet TRI. POT. III. COS. II. S. C. Hic an Tetricus ſit, N. L. nec fit veriſimile.

145 IMP. C. CLAUDIUS AUG. Cap. radiatum F. a. Genii figura ſtans dextra aliquid tenens, ſiniſtram elevat GENIUS AUG.

146 IMP. C. CLAUDIUS AUG. Figura ſtans inter duo ſigna militaria FIDES EXERCI.

147 IMP. C. CLAUDIUS AUG. Figura detrita FELICITAS AUG.

148 --CLAUD.-- Fig. ſtans dextra haſtam, ſi-

M niſtra

nistra columnæ innitens, in medio N, in margine--DET.

149, 150--CLA.--Figura dextra ramum, seu spicas, sin. cornucopiæ tenet. P. M.---

151--M. C. CLAU. Aquila CONSECRATIO.

152--AURELIANUS AUG. Duæ figuræ togata altera, quæ dextra sertum porrigit, sagata altera, quæ sinistra hastam tenet SECURITAS AUG.

153 Cap. radiatum, IMP. PROBUS F. F. AUG. Spei typus dextra sertum tenet, sinistra vestem levat, in medio III. infra XXI.

154 IMP. C. PROBUS P. F. AUG. Figura militaris dextra victoriolam, sin. scutum & hastam tenet VIRTUS AUG. Perforatus hic est.

155 IMP. C. PROBUS P. F. AUG. Fig. galeata, dextra ramum, sinistra peltam hastamque tenet in medio A, in margine COMES AUG.

156--AUR. PROBUS AUG. Duæ figuræ stantes dextrasque jungentes, togata altera sagata altera, CONCORDIA IMP. XXI.

157 IMP. PROBUS P. F. AUG. Fig. dextra scipionem, sinistra ramum tenet, PAX AUG. XXI.

158 IM. DIOCLETIANUS AUG. Caput laureatum F. a. Genius cum patera & cornucopiæ ſtat coram foculo, GENIO POPULI ROMANI. Infra, P. L.C.

159 Idem, ſed absque foculo, & in medio frontis averſæ S. C.

160 IMP. DIOCLETIANUS AUG. Jupiter nudus ſtans dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenet JOVI AUGG. Infra II.

161 IMP. MAXIMIANUS P. F. AUG. Figura ſiniſtra bilancem, dextra cornucopiæ tenet, SAC. MONETA AUGG. ET CÆSS. N. N. Infra Q. P.

162 IMP. C. MAXIMIANUS P. F. AUG. Genius dextra pateram, ſin. cornucopiæ tenet, GENIO POPULI ROMANI. A.

163 IMP. C. MAXENTIUS P. F. AUG. Templum in cujus aditu figura. CONSERV. URB. TUÆ. Infra A. Q. T.

164 Caput cum diademate CONSTANTINUS AUG. In corona laurea VOT. XX. In margine DN. CONSTANTINUS MAX. AUG. PIUS.

165 Idem.

166 CONSTANTINUS P. F. AUG. Figura ſolis dextra elevata, ſiniſtra globum

tenet SOLI INVICTO COMITI. S. T. R. Infra RT.

167 Idem.

168, 169, 170, 171 CONSTANTINUS AUG. Templum & ſtella PROVIDENTIA AUGG. S. T. R.

172, 173 Caput galeatum CONSTANTINUS AUG. Arcus triumphalis, VOTIS XX. P. T. R. infra, quæ in margine legi debebant, detrita ſunt.

174 CONSTANTINUS MAX. AUG. Duo milites in quorum medio ſignum militare, in quo perſpicue admodum conſpicitur figura ☧ GLORIA EXERCITUS. De monogrammate hoc vid. ſupra literas Cuperianas, & quam vellem literarum mearum nuper admodum ad eundem Ill. Cuperum miſſarum exemplar! Interim ego aliquando poſt alia in publica panegyri de hoc ſigno ita ſermonem inſtitui: Crucis ſigno, a Conſtantino viſo, innumeras figi cruces, conſtat iis, qui antiqua hiſtoriæ ſcrutantur monumenta & crucum criticarum ſtrenui ſunt venatores, conſtat. Ex exiguo antiquiſſimorum Scriptorum verborum diſſenſu lis hæc oritur. Euſebius facit radiantem, & verſus orientem ponit, alloquenteſque Conſtantinum Angelos introducit, Κονςαντινε εν τȣτω νικα; Et cum teſtetur ſe ex ipſo

ipſo Conſtantini ore hæc omnia habere, qui ſancte ipſi confirmaverit, attonitum ſe in ipſo meridie crucem hanc radiantem vidiſſe, ſequente vero nocte, in ſomno Salvatorem ipſum una cum eodem ipſi apparuiſſe ſigno, juſſiſſeque ut ſuo inferret labaro Cæſar, & tunc ſe extemplo ipſi auxilio præſto futurum, haud exiguam meretur fidem. Sozomenus hæc iisdem repetit verbis. Alii paulo aliter enarrant. Et ſi circumſtantiæ quædam ſibi non adverſantes rei tollunt veritatem, quid quæſo univerſæ accidet Hiſtoriæ? Actum erit ſane de illa & fide ejus. Ut hic nil de ſacris dicam Scriptoribus quos hac lege facile dubios reddere poſſunt Pyrrhoniſmi hiſtorici Patroni. Riſerunt quidem hæc iniqui quidam Conſtantini cenſores & arbitro præeunte Zoſimo detractore pagano. Rident idem Rainoldus, Rittershuſius & cum reliquis Arnoldus. At fac literam latinorum T. ſeu crucem anſatam Conſtantini figuram præ ſe non tuliſſe, ſufficit mihi illa, quæ Nonnio δορυτετραπλευρος † quam Imperator, & inverſam, ut fieret Andreana X in labarum ſuum tranſtulit literamque P. adjecit, quo ſimul nota furcæ Dominicæ & monogramma Salvatoris O. M. eſſet. Fac cum Doctiſſimo Bonanni in Deaſtrorum delubris offenſam fuiſſe crucis figuram, ceu ille in Muſeo Kircheriano claſſe quinta ex Socratis lib. 5. c. 12. Caſal. de ritibus Ægypt. c. 3. &

Kircheri Obelisco Pamphili, p. m. 41. 42. & 46. docet; in labaro tamen Imperatorio, aut in numis, nisi perticam antennæ junctam, appellare velis crucem Dominicam, ut nil de litera P. dicam, non invenies. Stella sex radiorum potius est, si qua in numis Vg. Valentiniani &c. conspicitur. Candide interim cum eruditissimo Lipsio fateor, quid sibi crux inter Ægyptiorum hieroglyphica & alibi, velit, me nescire. Crucem cum circulo ipsum Misraim a Chamo, hunc a Noacho, hunc ab Adamo & hunc Razielo informatore suo habuisse, indeque maxima quævis mysteria edoctum fuisse, λογοι, somnia. Factum hoc fuisse credo ego tunc, quando per illam portarum cœlestium custos Mercurius attractus, & quatuor mundi partes in figura crucis factæ sunt. De antiquissima crucis Christianorum figura sciendum est, illos humanum vultum in eandem nullo modo admisisse. Aliter oriens aliter occidens formabat. Habessinii sacerdotes hodie obviam venientibus nudam, nec pictam, nec sculptam ad osculandum offerunt. In occidente statuebatur miniolita, Lactantius l. 4. c. 2. lignum vocat sangvine delibutum, ut Christi fusum sangvinem defiguraret. Crucis cacumen corona cingebat cum purpureis lemniscis, adjuncta etiam palma, symbolo victoriæ. Et hoc erat simplex ab initio crucis stemma. Post debellatum autem

tem illud impii Arii dogma Trinitatis adjiciebatur ſymbolum. Patrem deſignabant ex rutila nube erumpentia verba: Hic eſt filius meus dilectus; Filius ipſe agni, Spiritus S. columbæ ſpecie ſignificabatur. Interdum duodecim aliæ columbæ, quibus notabantur Apoſtoli, aut etiam quatuor ex rupe manantia flumina apponebantur. In numo Magnentii ut & in quibusdam ſaxis ſepulcralibus in Agnetis Romæ cœmeterio effoſſis figura hæc conſpicitur. Sic & diruto templo Ambroſii Romæ, multa reperiebantur veterum Chriſtianorum cadavera, quorum e collis pendebant aureæ capſulæ, quarum frons una, columbas pacis ſymbolum, quo hieroglyphico veteres ſignificabant defunctorum animas ad Deum evolaſſe in pace, quemadmodum nunquam S. concio dimittebatur, priusquam concinniſſent, ex Luc. 2. 29. Νυν απολυεις &c. Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace; frons vero altera figuram hanc exhibebat. Aringhius a Joh. Severano adjutus in Roma Subterranea l. 3. c. 2. De Conſtantini labaro pluribus agit Lydius in Syntagm. S. de re militari l. 3. c. 7. p. m. 97. & ſeqq. qui evolvendus eſt uſque ad p. 105.

175 Idem, ſed in ſigno militari CMX.

176 Idem, ſed in ſigno C.

Usque ad 183 Iidem.

Usque ad 193 CONSTANTINUS MAX. AUG. Duo milites, in quorum medio duo ſigna militaria GLORIA EXERCITUS Infra quidem CTNSP, alii TRS Alii aliter.

194 D. N. CONSTANTINUS AUG. Duæ victoriolæ tenentes ſcutum, cui aliquid inſcriptum.

195 CONSTANTINUS P. F. AUG. Victoria dextra peltam, ſiniſtra ramum tenet, adeſt etiam ſtella & litera A. SECURITATI PUBLICÆ. Infra RSM.

196, 197 Iidem.

198, & 199 Mars gradivus dextra poſt ſe trahens captivum, ſiniſtra haſtam tenet, GAUDIUM ROMANORUM. Infra BAST. S.C.

200 CONSTANTINUS P. f. AUG. Figura alata, ſ. Victoria dextra coronam, ſiniſtra ramum tenet SECURITAS PUBLICA. Inf. CTM.

201 – CON. – Fig. dextra globum, ſin. haſtam tenet.

202 Caput galeatum Imperator paludatus. Chlamys Imperatoris curta & ceteris pretioſior, paludamentum dicebatur, quod ante conſtitutum imperium a Conſulibus Pro-Conſulibusque in pro-

vin-

vincias euntibus, induebatur, quemadmodum de Cn. Sicinio refertur, quod Prætor paludatus, ex urbe profectus venerit Brundusium. Mansisse autem hoc indumenti genus usque ad tempora inclinantis imperii, non solum Marcell. l. 14. & l. 21, sed & hic noster numus perspicue monstrat.

203 Idem, Imperator vero dextra globum stylo infixum, sinistra hastam tenet. FELICITA—

204 CONSTANTINUS P. f. AUG. Fig. singulis manibus peltam tenens. — HAS. — in medio TA.

205 CONSTANTINUS P. f. AUG. Figuræ duæ dimicantes.

206 FL. VALERIUS CONSTANTINUS P. F. AUG. Fig. dextra pateram, sinistra cornucopiæ tenet. — OP.

Ad 213 usque Caput galeatum CONSTANTINOPOLIS. Fig. dextra hastam puram, sin. peltam tenens, horum unos F. a. TINOPOL. Infra. PL.

214, 215 DN. CONSTANTINUS P. F. AUG. Fig. militaris hasta supplantat equestrem FEL. TEMP. REPARATIO. Circa hunc numum noto, non solum supplantatos fuisse equites cum ingens iis inter certas gentes tribueretur vis, sed & equos ipsos etiam jussu diuino, Jos. 11, 6, subnervatos fuisse, nec

ante Salomonem eorum numerum adeo magnum in gente Israelis fuisse, quia id prohibuerat Deus 2. Sam. 8, 4. Conf. Deut. 17, 16. Unde etiam pauperculos quidem asinis, magnates vero mulabus vectos fuisse, legimus. Quæ res illustrat locum Zach. 9, 11. Ceterum de Honorio refert Claudianus IV. Conf. Honor. *Colla triumphati proculcat Honorius Istri.* Conf. Jos. 10, 14.

216 Figura sertum imponit Imperatori paludato clypeumque tenenti.

217 FL. JUL. CONSTANS. Miles gradivus cum labaro & pelta coram quo duo captivi supplices FELIX TEMP. REPARATIO.

Usque ad 228 CONSTANS P. F. A. Duæ victoriæ cum sertis – CTORI. DD. licet in singulis nec eadem sit figura, nec eædem reperiantur literæ.

229 IMP. C. MAGNENTIUS Fig. militaris, dextra victoriolam; sin. labarum tenet.

230 DN. MAG. MAXIMUS P.F. Imperator stans dextro porrigit supplici radiato, sinistra vero victoriolam tenet REPARATIO REIP.

231 D.N. THEODOSIUS F.F. AUG. Fac. av. ut in Magno maximo.

232 D.N. THEODOSIUS P.f. AUG. Fig. Victoriæ dextra ramum sinistra supplicem post

se

ſe trahens VIRTUS EXERC. Minimi hic eſt moduli.

233 Maximi moduli Caput diademate cinctum

†

-- STINIANUS F. a. M†. M. hoc nec
Rom

Marium, quod quibusdam videtur, nec Mariam notat. Nimium cultui B. V. indulget Jobertus rei numariæ licet peritiſſimus, dum literas in numis hujus & ſequioris ævi M. I. K. primordia vocum, Maria, Jeſus, Conſtantinus, ex adjectis crucis ſignis †† tanquam pietatis Conſtantini ſucceſſorum notis interpretatur, quaſi novam a ſe conditam Romam Matri Salvatoris conſecraverit Cæſar, ipſe per totum imperium in ſanctorum numero habitus. l. ſ. c. p. 73. & ſeq. Quid ſi per M. hoc exprimeretur Maximus, utpote, cum titulis hic noſter adeo glorioſus extiterit, ut etiam Francicum ſe appellari juſſerit, prætereaque ipſi probe conſtiterit, Conſtantinum in numis appellatum fuiſſe plerumque Maximum. Hortleder in præfatione p. m. 2. Von teutſchen Kriege / ex G. Zen. a Schauenb. & Avila ita: Bapſt Paulus der dritte, hat gewolt / daß Käyſerl. Majeſt. nicht nur Käyſer Carl der groſſe / ſondern Käyſer Carl der allergröſſeſte und ſieghafftigſte genennet werden ſolten. Infauſtum quidem litera M. ſummum am-

ambientibus magistratum aliquando fuit signum, &c. quo vero Dionysius, cui forte idem contigerat, omen elusurus interpretatus fuerat Μοναρχήσω μόνον, & paulo post apud Syracusanos summum adeptus fuit magistratus officium, M. faustum esse cœpit signum. Ceterum ad cruces in numo positas, quod spectat, licet Minutius Felix in Octavio scribat, Cruces nec colimus, nec optamus, eas tamen hoc ævo præcipue cœpisse esse in honore, satis superque varia antiquitatis testantur monumenta, id quod dein propagatum fuit in posteros. Si genuinum est numisma, quod e Fulvio Ursino in medium profert Baronius ad A. C. 394. Theodosius Imperator sinistra sceptrum gemmatum in crucem desinens gestare solitus est, id quod suo tempore imitatus fuit, innumeris quidem casibus expositus, at tandem de hostibus suis amplissime triumphans Rex Angliæ Richardus, qui in sceptri sui apice crucem, in virga vero, quam sinistra tenebat, columbam gerebat. Jacob Bosius de cruce triumphante l. 6. p. 614. ex Anastasio Bibliothecario, Carolum M. inter cetera Regia dona, quæ diversis Urbis Ecclesiis obtulit, magnam crucem auream hiacinthinis gemmis ornatam, basilicæ Lateranensi donasse, Pontificemque obsecrasse, ut in suæ ipsius pietatis memoriam illam in Litaniis semper ante Papam deferri juberet. Quam postea cru-

cem.

cem temporibus Paſchalis Papæ. I. a latronibus furto ſurreptam, Leo IV. reſtituit, alia ejusdem forma conſtructa, & lapillis pretioſis pariter illuſtrata, ut in Litaniis & Proceſſionibus, conſveto more ante Pontificem deferretur. Norunt Juris Canonici ſtudioſi, quod nemo eorum, qui Romam adorant, Eccleſiam ædificare debeat, antequam Epiſcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publiceque atrium deſignet. Quam beatum fecerit Tiberium II. lapis cruce ſignatus, norunt etiam iſti, qui in trivio verſantur. Nec ulli rei unquam major ineſſe ſolebat fides, quam crucis ſigno, quemadmodum in fidem maximam publicis antiquitus imponebantur inſtrumentis, unde etiam non ſolum in Epiſcoporum bullis, ſed & Principum & Urbium Inſignibus cruces jactæ fuerunt frequentiſſimæ. Joh. Michael Heineccius de veteribus Germanorum, aliarumque nationum ſigillis, cap. 8. n. 4. ait, nullum ferme extare medii ævi ſigillum & inſcriptionem, quæ non a cruce ordiatur, quia ſubſcribentes innuere voluiſſent, tacito veluti juramento, ſe, quod promiſerant, quam ſanctiſſime ſervaturos eſſe. Petrus Faber L. 3. ſemeſtr. c. 1. ff. Ab Honorio & Theodoſio Impp. fidei noſtræ ſignum appellatur L. Judæos C. de Judæis. Acceſſiſſe ei honorem, poſtquam Conſtantinus eo die, quo cum Maxentio ad pontem Milvium conflixit, ſereno puroque cœlo crucem vidit,

antor

autor est Lactantius l. 5. c. 6. p. m. 415. qui itidem p. m. 528. l. 6. c. 11. docet, a principio ita usu venisse, ut Christiani initium cujuscunque rei agendæ a signo crucis facerent, & ejus rei testem vocant Tertullianum. Quomodo ad mensam & cibos facta fuerit crux vid. Cave Christianissimus antiquis. p. 1. c. 9. p. m. 275. It. p. 300. & 332 &c. &c. De sandalio Papæ cruce signato, evolvatur Casalius de ritibus Eccles. vet. edit Rom. c. 81. p. 327. Bosius de signis Ecclesiæ l. 1. p. m. 911. Arthurus Pitsius in Observv. Cathol. ad Luc. c. 7. v. 54. Edit. Antwerp. ad A. C. 1637. Götte in Observat. Philolog. c. 9. p. m. 25. Kempius de osculis p. m. 169. Heckelius de Osculis p. m. 40. A. 1652. Ernestus Landgravius Hassiæ Autor colloquii Rheinfelsani, d. 6. Jan. P. M. ita scribebat: *Beatissime Pater! Post oscula beatorum pedum, ac mei meorumque humilimam commendationem, ad cumulum mearum consolationum, ad perfectionem gaudii mei, deest tua specialis benedictio, Pater Beatissime. Postquam enim divinæ providentiæ ineffabilis benignitas, me cum mea dilectissima conjuge, transtulit a tenebris prætensæ reformationis in admirabile & irreformabile lumen catholicæ veritatis & unitatis, nequeo effari, quanto conatu, præveniente, cooperante, & ad finem optatum perducente Spiritus S. gratia, contemtis imposturis, quibus ab infantia eram præoccupatus, sanctissi-*

mæ

mæ ſedis Apoſtolicæ ceteris omnibus præeminentem agnoverim dignitatem. Quamdiu occultabatur mihi Jeſu Chriſti vicarius paſtor, ſecutus ſum prædicatores errorum, donec veſtigia gregis antiqui firmiori greſſu catholicæ pacis ſemitam manifeſtarent. Qua quidem perfecta, eam fidem publice profeſſus ſum, quam prædeceſſores mei obſervarant, ad illam Eccleſiam redivi, a qua exiverunt, ad eundem Paſtorem revertor, a quo receſſerant. Videns igitur veram Innocentiam, cujus ſingularis tum humanitas & clementia, tum univerſarum Eccleſiarum indefeſſa ſollicitudo apud noſtrates non ſine fidei augmento deprædicatur, (adeo, ut me reducem eſſe ad Eccleſiam Chriſti, ſub tali paſtore ſit mihi incrementum lætitiæ) ad Tuos Beatiſſime Pater, debita ſubjectione devolutus pedes, ne quicquam deſit gaudio meo, pro ſanctiſſima, paternaque benedictione Tua, mihi meæque conjugi impertienda, humilime ſupplico, ut ea recreati, & alacriores facti, vota noſtra impleamus nos ac noſtra, pro Gloria Dei, pro Eccleſiæ incremento & ſignanter pro exaltatione ſedis Apoſtolicæ impendentes, cujus felicitati exopto incolumitatem, Beatitudinis tuæ ad annos plurimos. Coloniæ. Ut ſupra. De cruce orbis Romanorum Imperatorum laudatiſſ. Cuperus in Apotheoſi ſ. citata p. 48. ſeqq. & M. Diod. Andr. Kellerhaus, Mariæ Maj Lipp. Antiſtes

Sen.

Sen. in epiſtola de Numo Frid. II. Imp. ad nos exarata p. 9.

234, 235, 236 Caput galeatum, Urbs Roma. Lupa lactans Romulum & Remum; in ſuperiori parte conſpiciuntur duæ ſtellæ, in quarum medio circulus, infra, S. CONSTANT. & TRP. Romam ſcriptis ſuis illuſtrarunt fragmenta Fabii Pictoris & C. Sempronii, Marcus Varro, & Ariſtides Smirnæus, Julius Frontinus, Publius Victor, & Sextus Ruffus; Et poſt hos Flavius Blondus, Pomponius Lætus, Andreas Fulvius, Carolus Poggius, Joannes Tortellius, Raphael Volaterranus, Fabricius Vartanus, Franciſcus Albertinus, Bartholomæus Marlianus, Manuel Chryſoloras, Bernhardus Oricellarius, Hieronymus Queſtenbergius, quibus jungimus, Delitias Italiæ, & Admiranda Romæ Ibid. 1589. Andræ Urſini Antiquitates Romæ 1588. Camilli Fanucci opera pia urbis Romæ ibid. 1601. Joh. Lopandi Mirabilia Romæ, Hieronymi Franzini Antiquitates Urbis Romæ, Joh. Maggii liber de ædificiorum & ruinarum Romæ antiquis atque hodiernis monumentis, Rom. 1649. in 4. & præter eos, quos in medium profert Georgius Fabricius in Roma ſua p. m. 2. huc pertinent Antiquarum ſtatuarum urbis Romæ, quæ in publicis privatiſque locis viſuntur Icones, Romæ 1584. Nic. Gruchius de comitiis Romm. Onuphrius Panvin. de feſtis & triumphis Romm. C. Sigonius, in faſtis

faſtis Conſularibus & triumphis; Joh. Baptiſta Caſalius de Urbis ac R. Imperii olim ſplendore; Joh. Zaſius Rom. de Senatu Romano, Majoragius de Senatu Rom. Richardus Streinius, Baro Schwarzenaaus de gentibus & familiis Romm. Roma illuſtrata Lugd. Batav. 1645 in 12. quod opuſculum ad inſtar commentarii in Romanarum rerum Scriptores. Floccus, non Feneſtella, de magiſtratibus Romanis, Romam ſubterraneam edidit Paulus Aringhus in f. Voll. 2. Rom. 1651. Sic & de Antiqua Roma præclare meritus eſt J. G. Grævius, in Theſauro ſuo antiquitatum Romanarum, Trajecti 1697. in f. Extat etiam Alb. Keimarii Abgebildetes altes Rom mit Antiquitäten in Kupfferſtichen / Arnheim 1662. in 12. & Lugduni 1690. in 12. It. Jani Jacobi Boiſſardi Topographia Romanæ Urbis cum multis figuris Frf. 1597. nec non ejusdem imagines & veſtitus, tam publicorum, quam privatorum hominum, qui Romæ in ſaxis viſuntur libri tres in f. It. Deſcriptio Urbis Romæ in gratiam peregrinantium, Autore F. D. P. Treder de vet. Rom. Repl. Mandoſii Bibliotheca Romana, ſeu Romanorum Scriptorum centuriæ Rom. 1682; Lipſius de magnitudine Urbis Romæ, & de militia Romana, de qua etiam Salmaſius, Lazius, & Hermannus Hugo. Le Coſe maraviglioſſe dell' alma citta di Roma in Roma 1619. 8. &c. Sic & Novi commentarii ſ. obſervationes in Itine-

N re

re Italico congestæ circa monumenta veteris & novæ Romæ prodierunt Amstelod. 1706. Autore Nodot; Reliquias antiquas urbis Romæ, quarum singulas diligentissime perscrutatus est, ad vivum delineavit, dimensus est, descripsit atque in æs incidit Bonaventura ab Overbeke; Michael ab Overbeke edi curavit Amstelodami in fol. maj. cum figg. ænn. Ceterum lupæ Romulum & Remum lactantis simulacrum visitur Romæ in Capitolio, de qua fabula Livius l. 1. & Dion. Halicarn. l. 1. ille mihi p. 7. hic p. 100. evolvi potest. Non enim plus meretur fidei, quam illa Cyri & canis Spaconis apud Herodotum & Justinum; Semiramidis & avium, Hieronis Syracusani & apum &c. &c. Galeata est Roma nostra, Veterum Romanorum præcipue galeas explicat Polybius in libello de castrametatione Romana, plerasque talium figuras æri incisas exhibet Lydius in syntagmate S. de re militari, p. m. 63. Vid. etiam Lazius de Repl. R. l. 8. p. m. 733.

Ad 249. usque Radiati & barbati, procul dubio Didii Juliani, Aurelii, Taciti, Cari &c. cujus rei testimonium perhibent literæ, in margine utriusque frontis, quemadmodum & hi, & qui ad usque 263. sequuntur, in quibus Victoriæ gradientes, figuræ stolatæ cum cornucopiæ, coram foculo sacrificantes patinæ, aræ, templa &c. idem satis loquuntur, ut de decem aliis sequentibus nil dicam.

Usque

Usque ad 284. Gothici, & 290. penitus detriti, & excisi sunt.

292 HADRIANUS AUG. Figura cum patera & cornucopiæ, S. C.

293 Imperiti artificis est.

294 OVIDIUS NASO. F. a. M. PORTIUS CATO.

295 VIRGILIUS MAR O. F. a. EPOS.

RECENTIORES.

1 Fig. ✠ JUSTUS REX F. a. JUSTICIA POPULI.

2 Salvator tenens pomum cruce notatum.

Ad 11, usque Veneti varii moduli, metalli & figurarum variarum.

12 Ragusa, 13, & 14, Melitenses.

15 Transylvaniæ.

Ad 30, usque stannei & cuprei Angliæ & Galliæ. Multos veteris Galliæ numos exhibet & evolvit P. Gab. Daniel in Historiæ Franciæ, tom. 1. Paris. 1697.

Ad 43, Italiæ Principum & Ducum Burgundiæ.

44 Serratus, ex ære nitidissimo. Jacobus Rex eques laureatus & loricatus strictum tenet ensem cum epigraphe, an studio, an negligentia corruperit artifex, NL. est enim JAC. II. fractis sequentibus, ET HIB. REX. F. a. visuntur quatuor insignia & in medio, corona,

na, literis in limbo penitus corruptis, in medio vero, ANNO DOMM. 1690. Hunc, ut &

45 Qui faciem ejusdem Jacobi laureatam exhibet, simulque, JACOBUS II. DEI GRATIA, & a. coronam cum duobus sceptris sistit, MAGN. BRIT. FRANC. ET HIB. REX, 1689. XII. Jan. IR. ex Hyberniæ campanis cusum fuisse a fide dignis nobis relatum est, isti quidem Philippei, huic vero dimidii impositum fuisse pretium traditum est. De hoc Jacobo & motibus, quos attulit Angliæ Conf. Neugeharnischtes Groß-Britannien/ Nürnberg 1690. in 4. Commentarius de Rebellione Anglicana ab A. 1640. usque ad A. 1685. Lond. 1686. in 8. Historia nuperæ rerum mutationis in Anglia, Autore Ezeck Burridge Lond. 1697. in 8. hunc librum suis sumtibus eruditis concessit Sam. Buckleii; Est vero oppositus Patri Aureliacensi, vulgo Pere d' Orleans, & libro ejus, cui titulus Revolutions d' Angle terre. Happels Britannischer Glücks-Wechsel. Hamb. 1691. It. das Königl. Conterfait König Jacobs in Engeland nach seinem Leben gemahlet rc. 1698. in 8. Liebe der Messaline; Nuper inter congratulationes Augustissimo Georgio Magnæ Brit. Regi O. Max. offerebatur Amici & Fautoris nostri venerandi M. J. K. &c.

NOVUS

NOVUS ANGLIÆ AUGUSTUS.

Ihr Clevische Hügel/
Erhebet die Flügel/
Biß unter die Sterne/
Und ruffet von ferne/
Durch Klüffte und Lüffte nach Engeland zu:
Glückseeliges Eyland/nun komstu zur Ruh.
Dein Engel auff Erden/ Besitzer der Thronen/
Beschirmer des Glaubens/Beschützer der Crone.
Der komt von Hannover
Hal over! Hal over!
O Wunder-Geschicke! o seelige Stunden!
O fröliche Blicke/ bey Thränen gefunden/
Drumb lauffet ihr Britten auff göttlichen Wegen/
Mit hurtigen Schritten dem König entgegen.
Ach! bleib doch nur foris
Du Ritter St. Joris,
Sonst wirstu ergriffen/und die dir anhangen
Gemartert/ geköpfet/ geschlagen/ gefangen.

*** *** ***

Es ist schon ein anderer Joris erkohren/
Ohnstreitig von Englischem Blute gebohren
Der lebe und schwebe in Englischen Frieden
Biß daß man die Seele vom Leibe geschieden
Mit Englischen Chören
Den Höchsten mag ehren.

Idem hic noſter, A. 1691. de Wilhelmo III. Magn. Brit. &c. Rege, quem ex vivorum numero exturbatum eſſe tunc blaterabant multi malevoli, qui vero vivus & incolumis Hagam Comitis cum veniſſet, inter alia ita: WILHELMUS, HEM VIVUS LL.

Hem Vivus, Lætare Leo, gaudete Britanni!
Defenſor fidei vivito! Plaude fides!

46 יהוה in nubibus; infra ingens conſpicitur exercitus, FRUSTRA CONATUR IMPIUS F. a. Rex (Philippus) in ſolio in medio quatuor conſiliariorum, INVITO NUMINE MDXCIX.

47 Saulus eques volans, celſus & egregius ad coelum reſpiciens, SAULE SAULE! quid me perſequeris? 1608.

48 Maria Loretana gemmis undique obſtipata, in porta cum puerulo Jeſu, MATER AMABILIS ORA. Templum Lauretanum &c. DOMUS BMU LAURETAN. De hac domo Uldaricus Zaſius Maxim. I. & Carol. V. Conſiliarius ad Amorbachium; Ego *Lautum Italis relinquo, virginem in cœlis veneror.* Scriptis ſuis hanc illuſtrarunt, Horatius Turſelinus, Hieronymus Angelita, Victorius Brigantius, Antonius Salt, Silvius Serragli, &c. quibus addatur Felicis Mariæ Nellii Arcana domus Lauretanæ perſtricta Relatio. It. P. P. Vergerius & Matthias Berneggerus It. I. F. Meier in

in Differt. de conventu Apoſtolorum ad mortem Mariæ cap. 2. p. m. 17. ſeq.

49 LUDOV. XIII. D. G. FR. ET NAV. REX CHRISTIAN. Remi, & manus e nube porrigens ampullam, quæ ficus inſtar, FRANC DATA MUNERA COELI OCT. Infra RHEMIS 1610. Hic licet procul dubio inter abaculos (Jettons) referendus ſit, certum tamen eſt, iſtum autoritate publica non ſolum percuſſum eſſe, ſed & ad eos pertinere, qui rerum ſingularium hiſtoriam & monumenta nobis exhibent, quemadmodum etiam reperiuntur qui his omne fere ſuum ſtudium conſecrant. De ampulla ipſa videatur Joh. Jacob Chifletius, qui iſtam in peculiari ſcripto illuſtravit Antwerp. 1651. in f. Sic & de eadem peculiarem ſcripſit librum David Blondellus. His addatur Zeillerus in Ep. 31. Cent. 1. p. m. 293. Benj. Prioli de rebus Gall. l. 9. §. 10. Paullin in denen Erquickſt. part. 2. c. 52. p. 369. ſeq. Speidelius in Notabl. p. 812. Munſt. in Coſmogr. l. 3. p. m. 195. Sleidanus l. 19. p. m. 543. Beſoldus l. 3. Diſſ. 1. p. m. 192. Dn. Abbas Schmidius in Hiſt. ſec. IV. & V. fabulis maculata §. 4. p. m. 31. & ſeqq. Perroniana p. m. 8. de hac; *L' hiſtoire de la ſaincte Ampulle la quelle Hincmar, Aimoin & autres, & la perpetuelle tradition* de *l' Egliſe Gallicane teſmorgnent avoir eſtè envoyèe pour l' onction de Clovis, eſt laquelle nul*

François Catholique ne peut revequer en doute sans se monstrer impie envers sa partie & sa Religion. Ad monetas refert hunc nostrum abaculum Joh. Christoph Becman, de Notit. dignitatum illustrium, differt. IV. cap. 2. §. 4. p. 94. ubi & in seqq. pluribus de hac ampulla agit.

50 Insigne regni Hung. sub corona 1704. F. a. PRO LIBERTATE X. A. 1703. in manus Cæsarianorum inter alia incidebat vexillum, quod in medio insignia Ragocziana gerebat sub mitra Ducali, quibus adjecta erant hæc: FRANCISCUS RAGOCZII DE VELSO VADAS SAC. ROM. IMP. PRINCEPS; CUM DEO, PRO PATRIA ET LIBERTATE, & infra DATUM PRESNAN, d. 12. MAJ. 1703.

51 Quadratus, BREDA OBSESSA 1625. Vid. I. B. Gramaye Antiquitates Belgicæ emendatiores, & auctæ Antiquitatibus Bredanis 1708. in f.

51 Argent. BUDA OBSESSA, DER CHRISTENTHUM.

52 WIEN ENTSETZT Vid. Francisc. Adlers Blitz ꝛc.

53 STUELWEISENBURG EROBERT, $\frac{2}{19}$ Maj. 1688. Hoc nec unquam fingi, aut excudi potest nitidius & elegantius quicquam.

54 In

54 In solido ære, PAULUS SECUNDUS PONT. MAX. Fig. dextra spicam, sin. cornucopiæ adstantibus duobus puerulis, HILARITAS PUBLICA.

55 Porta cœli JUBILÆUM MDC. De anno jubilæo & ejus juribus apud Ebræos vid. Slevogt, disp. 15. part. 2. De Jobeleo Lutheranorum Guilielm. Müller, qui c. 2. §. 3. de ethnico Romano ob Reges exactos a Val. Poplicola in honorem Apollinis & Dianæ instituto, agit. Add. Wilckii Orat. 32. & Joh. Christ. Linck de jubilæo Papistico &c.

56 Eadem porta in qua facies salvatoris in strophiolo Veronicæ MDCXXV. Sin vero habeatur pro ea, quam Christus ad Abgarum misisse dicitur, non majorem penes me merebitur fidem, quam epistola Christi ad Abgarum, aut hujus ad istum missa. Evagrius enim a narrationibus fabulosis alienus adeo non est. Credam, si subscripsero Erronis Ahasveri, seu etiam Josephi fabulæ, quam ante paucos annos, nimirum A. 1703 Argentorati ex 1. Petr. 2. 23. Luc. 23. 34. Es. 53. 7. refutavit Joh. Joachim Zentgravius. Joh. Sebast. Mitternacht in dissert. de Johanne Apostolo, fabulam satis antiquam, quam Matth. Parisius de Josepho, Chrysost. Dudulæus Westph. de Ahasvero, memorat, appellat; sicut & de eadem in Enneade p. 309. erudite disputat. Ceterum de ipsa Salva-

 toris

toris facie & forma peculiarem edidit tractatum, qui & impressus est Rostochii A. 1666. cum notis Iosuæ Arndii Franc. Vauassor, qui evolvi potest cum Noctibus Christianis venerandi Fechtii; iste quidem statuit, nec turpi; nec eximia nimis sed vulgari Christum fuisse forma, hic vero dissertatione 10. l. c. a p. 359. usque ad p. 888. forma & vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra, quod sit verisimile admodum. Pearson in Exposit. Symboli Apostolici docet, plures veterum scriptores locum Es. 53. 2. 3. permovisse, ut asserent faciem magis deformem, aut non adeo speciosam habuisse, idque Justini, Clementis Alex. Origenis & Tertulliani, testimoniis confirmat. Addit vero hanc sententiam sequentioribus statim improbatam fuisse, quorsum allegat Hieronymum & Chrysostomum. Vid. art. 2. p. m. 156. Plura habet Reisckius tr. de Imaginibus Christi. Sic & lectissima sunt, quæ B. Ittigius in peculiari dissert. de forma Christi nobis reliquit. Veram effigiem in carne, sua opinione, ex revelatione Mariæ d' Escuwar descriptam vulgavit Stengelius August. Vindel. 1657. in 8. Patiniana, p. m. 20. *Plusieurs ont ecrit, de Christi deformitate, entre autres Tertullien en trois endroits. Aliqui veteres dixerunt Christum fuisse lentiginosum, donc il n' etoit pas beau. Saint Irenec idem scripsit, Cardinalis de Alliaco, Cardanus in genitura*

nitura Christi. Alii dicunt fuisse facie & aspectu tetricum & morosum, ergo formosus esse non potuit. Un certain Arabe a fait l' horoscope de Jesus Christ, & a dit qu' il etoit lait. De effigie Christi αχειροποιητη Hotting. in Thes. Philol. Ego, licet negare vix possim, Beatos Apostolos suos discipulos & hos eos, quos instituerunt, de Salvatoris forma docuisse, non possum tamen, quin, quotiescunque fere Christum in cruce pendentem aspicio, imperitiam pictorum & statuariorum accusem. Conf. Historia S. contra nonnullos pictorum errores vindicata Joh. Fabricii Altdorfi 1684. Joh. Frid. Junger in disp. de inanibus picturis; M. Paul. Christian Hilscher de erroribus pictorum circa nativitatem Christi & M. Phil. Rohr de Pictore errante in Hist. S. Lips. 1679.

57, 58 Duo ferrei, alter FERD. II. nomen, alter Brunsvicens. Silvicolam præ se fert. Sunt hi nimirum ex eorum censu, quos eo tempore vulgus Plätzes appellavit, & de quibus Lipsiæ a circulis Saxoniæ superioris & inferioris A. 1620. actum fuit. Ævum horum dicebatur die Kipper-Zeit; Conf. Theatr. Europæum A. 1620. p. 455. & seqq.

Ad 65 usque Svecici, Gantz und halböer. Hos non apposuissem, nisi supra de Svecorum re numaria parum, aut etiam nihil dictum fuisset. Ante annos quindecim Elias Bren-

Brenner, Regii Antiquitatum Collegii Aſſeſſor, novam elegantiſſimi ſui nummorum Sveo-Gotticorum Theſauri editionem parabat, quæ priori longe auctior prolixoque commentario inſtructior, in folio excudenda lucem viſura erat. Iisdem numis Sveo Gotticis multum operæ tribuebat Nicolaus Reder, ejusdem Antiquitatum Collegii Regii Aſſeſſor, qui & de nummis Runicis commentationem edidit A. 1704, prout & Benzelius, & Bromelius & Cronſtettus, & Tœruſlychtus & Tœruhylmius in eodem hoc argumento verſati ſunt. Nec prætermittendus hic eſt Dn. Otto Sperling, qui erudite admodum, de Nummo Svecico æreo per errorem Francicorum Sevennenſibus adſcripto nunc vero detecto & liberato, A. 1703. diſſerit.

Ad 84 usque Turcici, Ægyptiaci antiqui admodum Perſici, Indici, & Chinici hi quidem perforati ſunt. Ægyptiaci quidem toti cancellati ſunt, circa quos commendamus I. Perizonii Originum Ægyptiacarum Inveſtigationem.

85 Taliſmannicus maximi moduli & elegans, ſeptem planetis, Zifris in areolas dicisis, circulo, clepſydialigone, coronis, ſceptro ſceletoque notatus. De hoc genere numorum vid. Patinus in Hiſt. numiſmatum c. 14. p. m. 99. & Jopert. præcept. 7. pag. m. 155. ſeqq. De Scriptura Taliſmannica Jac. Gaffarellus in Curioſitatibus inauditis, in quibus etiam de Patriarcharum Horoſcopo & lectura

ctura stellarum agit. Nescio, qui majoris mei a ducentis annis & ultra, testantibus id annulis quibus obsignatores usi fuerunt, inciderint insigne Talismannicum, pentalpha puto, de quo evolvi potest Pierius l. 47, c. 31. p. m. 599, & Cornel. Agrippa in occulta Philosophia p. m. 266 & 268, quos veterum quidam male verterunt einen Druiden Fuß/ de quo Lohenstein in Arminio part. 2. p. m. 529. Pythagoricis *ὑγιείαν* s. sanitatem notabat. Solenne quibusdam est lateri cunarum quod ad pedes erat, characterem hunc tanquam averruncum avita religione seu potius superstitione apponere, de qua re vid. Paul. Merula part. 2. l. 3. c. 11. p. 313. Cosmogr. Prætorius in Meliboco part. 2. c. 6. p. 439. Wegnerus in Annott. ad Lutheri Onomasticon n. 35. p. 222. Tollius in præfatione Gallica quam Longino præposuit, teste Cupero in epist. supra posita, exemplum Regis Antigoni adducit, qui in publicum apud milites dedit, se vidisse in somno pentagonum & hanc inscriptionem; In hoc signo vinces, sed merito Ill. Cuperus de eo dubitat. Ego per quinque Christi vulnera interpretor.

86 ANNA D. G. FR. ET NAV. REG. LUDOVICUS XIIII FR. ET NAV. REX. De Anna hac Ludovici XIII. G. R. conjuge, constat itidem, ait Celeberr. I. F. Buddeus in Selectis Juris N. & G., quæ quidem ego ex liberali ejus possideo manu, Exercit

excit. de Testamentis summorum Imperantium, p. m. 574, quod solenni ritu successioni in regnum Hispaniæ, omnibusque in id juribus suis renunciaverit, suoque jure ita exciderit. Præter Buddeum idem argumentum & præcipue Caroli II. Hisp. Regis testamentum evolverunt Autor juris Austriaci in successione regnorum Hispaniæ vindicati Ao. 1704. & Joh. Joachim Müller im Königl. Spanischen Vermählungs-Saal Ao. 1710. Ipsius Ludovici R. vero res gestas & conatus, quis enarrabit? In numo ejus post alia legi IMP. dictum fuit supra. Nec falli me puto, si dixero, quod illud IMP, aliud nil sit, ac IMPERATOR. Confer Zweyburgs Theatrum præcedentiæ, quod in f. prodiit Berolini A. 1706 & Lord de Soigny von dem Vorzuge derer Könige in Franckreich, præcipue p. 219. & seqq. Theodor. Gothofredi Diatriben de præcedentia R. Gall. Boxhornii Institutiones politicas, l. 2. c. 203. & seqq. & Goldastum de præced. ætatis l. 1, c. 7, 30. & 84. quibus jungatur B. S. von Bosch gründliche Nachricht, vom præcedenz-Recht aller Potentaten und Repl. in Europa Breßl. 1689. Försterus de suprematu 1687. Crusius de præcedent. & Anonymus de libertate omnimoda; Sincerus Germanus a Lapide in Mercurio German. Conring. de finibus imperii c. 21. Besoldus tom. 2. Operum Polit. Diss. de præcedentia; Becmannus

de

de prærogativa & in Hiſtor. Orbis terr. p. 457. Majolus part. 4. Colloqu. 5. f. 324. Regem Galliæ aliquando cedere noluiſſe, refert, quemadmodum & in conventu Caletano Ao. 1521. legatus Franciſci I. contradicebat Caroli V. Imp. Oratori. M. Anton. Quetta, conf. 1. num. 15. Ludovicus XIII. p. m. 92, ait; *Franciæ Regem definiunt ICti Imperatorem majorem in regno ſuo appellari, quam Imperatorem in imperio.* Extat Tractatus Gallicus: *touchant la Lorraine*, in quo c. 3 & 4. autor docet, Regem Galliæ legitimum eſſe Imperatorem Rom. Chaſſanus in tr. de la Kecheredes Droite Du Roy & de la Couronne de France, nonſolum totius orbis imperium Regi ſuo deberi aſſerit, ſed & Electores Imperii, Vaſallos hominesque ejusdem, conſtituit, cui vero inſurrexit Schulze vol. 1. Colleg. publ. Exercit. 7. 18. An vero ipſe Rex Galliæ propter Delphinatum vereri teneatur Imperatorem R. vid. Limnæus, l. 1. c. 9. n. 31. & Speidelius in voce Gallia. Extant varia folia MSCta & impreſſa, partim conſilia, partim vaticinia Galliæ totius mundi imperium promittentia, de quibus evolvi poteſt P. de Laucre en le liore des Princes f. 330. It. Miniſterium Richelii & Mazarini. Alia, vg. Scriptores, ſtrumarum curationem, Inſigne, Legem Salicam, Originem, Reditus &c. &c. vid. Titulo IV. Speciminis II. Excerptorum noſtrorum. Laudatus Patinus l. c. p. m. 92. miſſile mon-

monſtrat, quod nudum Regis caput exhibet, cum epigr. LUD. XIIII. D. G. FR. ET NAV. REX. F. a. Rex ſtans Pietati ſupplici dextram præbet RESTITUTORI ORBIS CHRISTIANI 1660. De Ludovico hoc Rege, multa ſingularia & lectu digna occurrunt in 2. Germ. Franckreichs Geiſt. A. 1689. Conf. etiam H. Grotius in Ep. 1089. ad Oxenſtiern, f. 490. M. Jo. Käyſer Eccleſ. I. A. C. Clivenſium Inſpector, Fautor noſter eximius in præfat. partis 3. Parnaſſi Clivenſis p. 26. refert; Regem hunc A. 1665. in cubiculo ſuo inſcriptum hoc offendiſſe epigramma:

Tu es iſſu de rare Auguſte
Ton Ayeut fut Henrii legrand,
Ton Pere fut Lois le juſte,
Mais Tu n' es qu' un Louis d' argent.

ad quod riſiſſe Regem pretiumque Autori ingens, dummodo nomen ſuum apponeret, promiſiſſe; verum poſtridie ibidem novum hoc diſtichon reperiſſe.

Tu ne le ſcauras pas Louis
Car j'etois ſeul quand je le fis.

Sexcenta hujus farinæ extant γλυκοπικρα, quæ vero ut & multa alia huc pertinentia, hac vice facimus. Ego, quid de talibus ſentiam, cape; Blandus quidam aſſentator penes Franciſcum I. Galliæ Regem Carolum V. & R. Imp. appel-

appellabat Consulem Argentoratensem; Cui vero Rex respondebat; Tace Asine Consul hic si pulsat; tota contremiscit Gallia tympanam. Sic & Gustavo Adolpho R. S. pastor quidam Lutheranus exul pro strena offerebat carmen, quo simul Rom. Imp. Ferdinandus II. ejusdemque confoederator indignis modis perstrinxerat, quem vero iste Gideon noster excipiebat, **Wenn ich nicht die Würdigkeit deines Amts schonete/ wolte ich dich zur Danckbarkeit an Galgen hencken lassen. Denn ob der Käyser schon mein Feind ist / so ziemet es sich doch nicht anders zu reden / als von einem mächtigen Fürsten / der wieder mein Freund werden kan.**

87, 88 &c. Osnabrugici, inter quos quidem praecipui, qui ante centum & plures annos sede vacante cusi fuerunt, in quorum gratiam apponimus ea, quae sequuntur. Nimirum Iburgi in arce, quae sedes quondam fuit Episcopalis, ubi etiam splendidum Benedictinorum coenobium, templum & Bibliotheca, in duabus tabulis lapideis ab utroque latere portae interioris positis, leguntur sequentia, & quidem in una:

Pone claves Petre
Accingere sis gladio
Nec aures percute
Invade in cor hominis

Haud rudes peccamus rerum
Haud cœlitus datæ leges ignari
Peccamus, timidi, avari, ſuperbi, luridi
Peccamus impii
Scilicet
Dejectis caulis rexagulisque diſciplinæ veteris
Per avia juga crepidinesque inacceſſas
Erramus deviæ incuſtoditæ
Oves quondam tuæ
Exhorreſcimus thymum cythiſumque
Doctrinæ Salubris
Avidius inter ſaxa vepresque aconita carpimus
Virulentæ ſuperſtitionis
Pellucidos fontes candidioris ævi
Aquis commutavimus paluſtris Genii
Depulſis ab ubere innocentibus agnis
Ceraſtes lactamus noxios Dracones
Ita fatentur oves
Novis dogmatibus
Ineſcatæ.

In altera,

Ergo
Hoc age ſodes
Lecti cuſtos gregis
Cape iterum pedum
Præſta iterum
Vicariam Bono Paſtori operam
Duc ad ſaltus innocuos cœlumq; redolentia paſcua
Unde fames exulat lethalis pabuli

Septem

Septem inſtructi oculis ſeptem fluminibus
Quibus bene potus
Tuto potus animus
Fons ipſe fit
Suaque in cœlum ſalit ſcaturigine
Huc ubi
Expleta ſemper nunquam exhauſta fiet
Allicit uſque & uſque beat
Præſto ſis
Commiſſas tuere oves
Orbis paſtor ſublunaris
Cœli claviger empyrei
Ita vovet ita precatur
FRANC. GUIL. EPSPUS OSN.
Anno ſalutis
MDCLVI ſui regimins XXXI.

In medio horum ſaxorum conſpicitur Petrus, a dextris ejus rota, & a ſiniſtris Leo, inſignia tunc Epiſcopi, & diœceſeos & Urbis. Plura miſſilia numique, Vg. Johannis Huſſ & cum in hoc noſtro legantur verba, CENTUM REVOLUTIS ANNIS DEO RESPONDEBITIS ET MIHI, videatur epiſtola Joh. Georg Bertram, ad Polycarpum Lyſerum, hodie Ephorum Generalem Cellenſ. Num talia rectius tribuantur Huſſo an Hieron. Pragenſi M. Lutheri, Fratrum Joh. & Cornel. de Witt, D. Joh. Frid. Meieri &c. &c. apponi poſſent, ſed cum non adeo ſint infrequentia, vid. Junckerus in Vita Lutheri, iſtis ſuperſedemus.

O 2 *PHYSIO-*

PHYSIOTECHNOTAMEUM S. PINACOTHECA.

1 Integræ Struthionis, altitudinem equitis equo insidentis, exuviæ excedentes. De exuviis animalium & σιδηροπεψια struthionis ante aliquot annos disseruit Gothof. Voigtius Scholæ Johann. Hamb. tunc Rector.

2 Exuviæ serpentis pedum octo.

3 Aliæ in nostro agro inventæ pedum quatuor.

4 Aliæ, trium pedum & quatuor digitorum, ex asse, si fauces & rictum excipias crocodilum exprimentes. Lacertam Indicam appellant isti, qui lustrarunt Gangetis populos atque Indica regna. Nec mirum. Refert Herodotus libr. 3. p. m. 229. Edition. Henr. Stephani, quam orbi erudito concessit 1592. in Indorum solitudine arenosa formicas gigni, canum quidem magnitudine minores, vulpium vero majores. Fabulam quidem referre visus fuit multis; At fidem liberavit, suamque interposuit Gislenius Busbequius, epist. 4. p. m. 343. dum post alia: *In his inusitati generis animantes, qualem memini dictum fuisse allatam formicam Indicam mediocris canis magnitudine, mordacem admodum & sævam.* Ceterum admiratione digna sunt, quæ Fautor noster & Amicus summus, laudatissimus Kaempferus in Amœnitatibus suis exoticis Politico-Physico-Medicis Fasciculo 2. §. 2. de Crocodilis refert; Nimirum a Malabaris

labaris crocodilos credi vindices divinæ justitiæ, seu lictores τȣ Jemma, i. e. Rhadamanti. *Accusatos criminis*, inquit, *objiciunt ambigui prætores & judices crocodilis vindicibus, ut justo & extemporali judicio luat reus, absoluatur innocens. Quin sæpe vel ipsi captivi ad hoc tribunal provocant, sive conscientiæ fiducia, sive compedum & longioris custodiæ pertæsi. Rata sententia, accusatum pridie invisunt Brahmanni sacerdotes, decreti explicant gravitatem, horrendas judicii subeundi pœnas exponunt, omnemque ad confessionem eliciendam movent lapidem. Quo frustra voluto, postridie turba populari stipatum educunt ad littus Rhadamantini judicii, & de pœnitentia denuo multis, sed frustra admonitum subire tandem sequestre jubent judicium & ad fluminis oppositum littus natare atque inde renatare continuo. Si Crocodilis, qui quidem ibi frequentissimi immorari consveverunt, elapsus id præstiterit, mox uno totius comitatus applausu & gratulatione redux excipitur &c.*

5 Laterna mathematica Thurianus piscis, seu Xiphias.

6 Marsupium credo Turcicum e corio rubro, auro pictum & variis floribus intertextum, singularique artificio factum (follem diceres plicatum) licet non constet mihi, ad quas res sit utile, utpote cum adeo inter se coeant

plicæ & tam firmiter cohæreant, ut nihil ſupra.
7 Embryo mas quadrimeſtris.
8 Alius unius menſis, vix pollicem latum longus, qui propterea omnes, qui ipſum hactenus luſtrarunt, in admirationem rapuit. Bernard. Connor Med. D. e Regia Societate Londinenſi in Evangelio Medici, ſeu Medicina myſtica Art. X. exiſtimat corpus humanum jam ante ullam ſeminis virilis commixtionem, omnibus organis, licet ſubtiliſſimis, inſtructum in ſemine muliebri contineri, & proinde generationem hominum non conſiſtere in nova organorum aut partium formatione, ſed in eo tantum, quod fermentum maris ſeminale ſtamina jam in ſemine muliebri vere delineata, & in brevi voluminis gyro comprehenſa expandat & aptiora reddat, ut largius alimentum ſumant omnibus organis, licet ſubtiliſſimis, inſtructa. Cui vero non ſolum in ipſa Anglia, ſed & in univerſa præcipue Europa inſurgunt Theologi, Phyſici & Medici. Aliter longe, aliquando mihi quod vidit, retulit celebratus Kæmpferus. Superatis innumeris caſibus & diſcriminibus veniebat ille ex Perſia, Iaponia & India Lugdunum Batavorum impetraturus ibidem mitram Doctoralem, & ex quo diſputaverat de generatione hominis, a diſſentientibus quibusdam invitabatur ad colloquium privatum. Adibat ad eos ſponte & lubens. Humaniter excepto vitrum offerebatur, quod quidem intentis

tentis & armatis oculis, at non ſine ſummo animi ſtupore & deturbatione mentis contemplabatur. Surſum deorſumque in eo innumeros fere deprehendebat ſalientes homunculos minutiſſimos, effaſcinatum ſe eſſe putans. Interim dum ſenſit tandem in unum eos coire maſſam & a motu quieſcere, quæſivit de ſemine humano & virili, quod cum affirmaretur eſſe, integrum in ſemine latere fœtum, amplius dubitare noluit. Virginem illibatam quantum libet oeſtro libidinis commotam imaginatione ſola ingravidatam eſſe unquam, *εκ των αδυνατων* eſſe demonſtrabat Wilhelm. Dav. Habermann Med. D. & P. Roſtochii A. 1708. in peculiari programmate, & licet dentur embryones in embryonibus, & virgines in utero matris exiſtentes impraegnatæ fuerint teſte experientia, propterea tamen virginitatem miraculoſam Domini Matris, nec in dubium vocandam, nec naturalem dicendam eſſe, docebat. Bene admodum & pie Joh. Jacob Stolterfoth Med. Lubecenſ. & Prof. Gryphiswaldenſ. in ſcholio quodam ad Döbelii Obſervationem anatomicam de glire hermaphrodito: *An conceptio detur ſolitaria? quæſtio eſt curioſam impietatem fovens, ac proſtibulorum facinora præternaturalitatis pallio argute tegens. Ad imaginationis vires confugiunt ſcortorum patroni, quas tantas cum Paracelſo deprædicant, ut & ſpectra produci poſſint, conf. Poſner D. de virunculis metall. §. 22.*

Ineffabiles easdem esse, tot experimentis, edocti, ultro confitemur, ita, ut etiam agat in distans, in mediis præsertim naturalibus. Lac ad mammas deferat, ipsum fœtum signat; At in producendo homine tam stupendo composito, magis provida est alma mater, quam ut ad libidinis sensum appareat summi Numinis imago. Hinc non immerito suspecta est Bartholino sententia Parlamenti Gratianopolitani, quæ prodiit Parisiis Ao. 1631. in causa Matronæ cujusdam, quæ filium peperit sine viro, quatuor post ejus absentiam annis. Et profecto ita est, ut ait Sperlingius in tr. de form. hominis in utero c. 2. p. 12. *Non ex putri homo nascitur materia ut deliravit Avicenna, non in furnulis coquitur & assatur, ut ineptiit Paracelsus, non ex Dæmonum prodit congressu, ut putavit Vallesius.* Semel tantum, idque modo, omnem naturæ potentiam transcendente, virgo peperit. Foras Juliane, mundum expugna, virginem mitte, vivit mundi Faber. Spenc. ad Orig. p. 27. Valete cum Nefesoglis vestris perfidi Muhammedani, Kornmann. de miraculis viv. p. 187; Falleris ab Helmont, Eva virgo non peperisset; Ludis a Netterheim, Merlinum Britannum vatem, dæmonis & virginis fuisse filium, ipsumque Platonem sapientiæ Principem de virginis partu, Apollinis phantasmate oppressæ natum, l. 3. de occult. Philos. p. m. 450. Ne quidem equæ hodie in Lusitania vento concipiunt.

Hunos

Hunos ex Alrumis a Faunis compressis editos fuisse, delirantium somnia sunt. &c.

9 Lorum in obsidione Bonnensi vivo exsectum Gallo, sex pedum.

10 Vertebra dorsi humani unciarum fere sex, nec non

11 Longitudo ossis femoris Lotharii Imp. de qua manus B. Soceri mei, Conradi Saxens tunc SMmorum ducum Antonii Ulrici & Ferd. Albrechti DD. BB. & LL. Præceptoris, ita: Alß für etlichen Jahren die Landdrosten in Ducatu Brunsvicensi, aus Hoffnung einen grossen Schatz zuerheben die Begräbniß Keysers Lotharii II. zu Königs Luther öffen lassen/ hat sich der grosse Knoche in dem Oberschenckel/ der von dem Knie in die Seite gehet/ in gegenwertiger Länge/ nemlich 3. Schue und 3. Zoll befunden/ nachdem Er darinne gelegen über die 500. Jahr/ denn Er Ao. 1138. zu Verona an der Pest gestorben/ ex relatione des Måurers/ so bey der Eröffnung gewesen/ und es selbst gesehen. Quæ de gigantibus traduntur, alia esse ficta & fabulosa, alia vera, constat. Neptuni & Iphimediæ filii apud Homeri, ὀδυσσ. λ. Rabbinorum Chajia & Hilowa, Pöetarum Latinorum Typho, Enceladus, Tityus, Ægæon, Antæus, Oromedon, & sexcenti alii, si corporis proceritatem spectas, fabulas olent, si vero res præ-

O 5 clare

clare geſtas ad maximos quoque pertinentes, hiſtoriam ſpirant. Nec de Ebræorum Nephilim hic ego, nec de Plinii Orione aut Cetho, nec de dente molari, quem ſe vidiſſe Auguſtinus in littore Uticenſi affirmat, ea magnitudine, ut diſſectus ad eum modum dentium, qui ſua ætate erant, centuplo major cenſeretur &c. hic diſputabo; pro meris figmentis interim eos, ob S. codicem, ob tot viros fide digniſſimos, & ob hanc ipſam meam vertebram, habere non poſſum. Conf. Ludolphus in comment. in Hiſt. Æth. p. 72. Tenzel in Colloq. menſtr. 1691. p. 461. Geuſi Exercitt. Philol. part. ult. p. 8. Zeilleri Cent. I. Epp. Ep. 48. p. m. 273. ſeqq. Rango de Gigantibus, & Joh. Columbus de Gigantibus Upſaliæ Ao. 1678. &c. Proceræ ſtaturæ homines, quos alii Rieſen / Recken &c. Weſtphalos appellaſſe quondam Hünen / groſſe Hünen / penes me nullum amplius eſt dubium, quum ſatis conſtet, quid noſtratibus notent Huynenbedde / Huynenbeine / & cum hodie ad ignominioſas appellationes referatur, du groſſer Huyen / ipſeque aliquando pluribus de talibus egerim, non veritus ſum iſtam diſſertationem, quam quidem plurimis, eruditiſſimisque ſenſi haud ingratam fuiſſe, hic inſerere.

ΑΒΛΣ-

ΑΒΑΣΚΑΝΤΩΣ.

Cic. Ep. 12. l. 5.

Placet Hector ille mihi Nævianus, qui non tantum laudari se lætatur; sed addit etiam, a laudato viro. Ραον γαρ εστι μωμεισθαι, η μιμεισθαι.

Titulus IX.

Appellatio ignominiosa.

APpellationes ignominiosæ, ut hodie inter Germanos præcipue solent esse frequentes, quæ, si non omnes, pleræque tamen aliquando vel Dei ipsius, vel Deorum Dearumque, Regum, Principum, Vatum & Heroum tituli; Vel etiam familiarum illustrium & præclararum cognomina, fuerunt. De Scriptoribus nil offendi, quare ad rem ipsam V. g. Affe/ Ape/ Maulaffe/ quod sane antiquum, juxta Ennium apud Cic. l. 1. de N. D.

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

Interim non solum olim ab Ægyptiis ad Pithecusios pervenit simiarum cultus religiosus, sed & hodie in India pro Diis habentur, & in splendidissimis templis adorantur. *Vossius* de Orig. & progress. idololatriæ, l. 3. c. 75. p. m. 1136. & seqq. *Rogers* Thür zu dem Vb. Heydenth. part. 2. p. m. 2748. seqq. De celebri Brachmanum simio HANVANT (notetur hic nostrum Hanvent) evolvatur *Athan. Kircher* in Chin. ill. p. m. 160. & seqq. Non sine summa jucunditate spectari potest

poteſt Inſigne, inventum ſubtiliter, quod amici Albo A. 1600. dedit CHRISTIANUS von Apen cum Symbolis: GOtt iſt mein Troſt / Crede parum, tua ſerva, & quæ periere, relinque. *Sclaraviam*, vulgo Schlaraffenland erudite evolvit *Joh. Georg. Eccardus* in tr. de uſu & præſtantia ſtudii Etymologici, putatque eſſe Calabriam, vocatam ab aliis Scalabriam, ſecus ac Ludolphus, qui in Æthiopiam, ubi olim ſolis menſa erat, eam refert. De aurea Judæorum ſimia egimus in Specimine ſexto.

Alrünchen. De his, earumque vaticinandi ritu vid. *Aventinus* de orig. Germm. l. 1. p. m. 59. (a) & ſeqq. *Olaus Wormius* in monumentis Danicis p. 514, & 523. & in Literatura Runica c. 3. It. in Faſtis Danicis l. 1. c. 1. &c. ubi de his ita: *Runas, Dani literas ſuas figurarum ductibus a ceteris aliis diſcrepantes, olim generatim vocabant, quarum quibusdam ad res geſtas ſuas conſignandas, & ad ſcribendum aliis magi incantationibus & præſtigiis utebantur*, additque, literas iſtas appellatas fuiſſe RAMRÜNER h. e. Runas amaras, ſeu acerbas, quod in perniciem aliorum, plerumque earum cederent abuſus, eoſque, qui runis erant inſtructi, Aſtronomiæ quoque & magiæ naturali operam dabant, appellatos fuiſſe RUNER, vel etiam ob muneris præſtantiam ADELRUMNOS ADELRÜNER, dictos fuiſſe, quod nomen etiam fœminis attributum, unde ALRUNA, ALIRUMNA & ALURUMNA

Conf.

Conf. *du Fresne* in voce Alrumna. Apparatum Alirumniorum sacrorum & sacrificiorum sistit *Lohenstein* in Armin. l. 8. p. m. 1182. Reliqua suppeditat Spicilegium *Speidelio* Besoldianum *Ehrenfrid Geiers* p. m. 3. Addatur *Eccardus* laudatus l. c. (C) (4)

De BACCALUREIS & eorum dignitate vid. *Speidel* l. s. c. p. 83. Baccalaurei in clave Jansenistica sunt miseri homines. Sigismundus tamen L. B. ab Herberstein omnes honorum titulos, quos variis negotiis & legationibus acquisiverat, postposuit titulo Baccalaureatus. De Alberto IV. Duce Bavariæ Baccalaureo & fundatore Academiæ Ingolstad. vid. *Thom. Sagittar.* de Baccalaureis.

Bacchante. Bacchum esse ipsum Noachum; in Diss. 1. & X. Decad. I. de Numis. Hinc etiam Poetæ Bacchantes, juxta illud: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo*, Furentes, **Schwermer / Bacchanten /** seu vino seu furore correpti, dicebantur, Conf. 1. Sam. 21, 13. 2. Reg. 8, 11. seu vero, seu vano; sive a בכה, siue a יה, cum eruditis nota sit acclamatio ista Bacchantium Ελελευ Ιακχε.

Bagl / Bolze Hoc a Balthasar, qui a Bel, seu Baal in honorem Beli ita dictus fuit, *Selden* de Dis Syris, & quem plerique Germanorum, Balzar, Balz, Bälzer & Bolzer vocant. Genevensibus autem nomen hoc exosum factum fuit, ex quo minister quidam eorum, nomen hoc filio suo indere noluit, teste *Beza* in vita Calvini, cujus sententiæ etiam est

Drusius

Drusius ad Hos. 2. 18. nec non ad libr. 2. Sulpit, p. 198. Quare constitutio Eccles. Genev. §. 41. diserte abrogata vult nomina, Claudii, trium Regum Casp. Balth. & Melch. Baptistæ &c. &c. &c. Ao. 1699. Consistorii Sambiensis præses erat D. Joh. Boltz JCtus & Prof. ordin. ibid.

Batze. Frequentissimum est in ore Thuringorum & Saxonum, quodque idem est ac Ursulus, quo pusiones suos appellare solent, unde & numi Bernensium Batzen ursulo signati, dicti fuerunt. Verum quid de

Bärenhäuter? Non sane, quod *Boxhornius* vult a Pern h. e. perna ein Schuncke / ut multi vertunt, & hüten / quasi ein Schincken oder Schweinshüter / sed ursinarum pellium incubitorem (vocem habent Aa. recentiores, & inter eos Cluverius in Germ. antiqv. t. 1. c. 16. p. 147. Dilherr. l. s. c. p. m. 152. Speidelius &c. &c. &c.) aut etiam ursorum venatorem nobilem & robustum, virum fortem & manu strenuum, notat. Nec infimam famæ suæ & dignitatis partem putabant esse veteres Germani præcipue, si belluarum, sive ursorum, sive aprorum, sive tigridum, sive leonum &c. &c. quos trajecerant, pellibus, pro solenni & splendida uterentur veste aut lorica, conf. Laz. de miggrr. gentt. p. 2. p. m. 494. Ut nihil de Romanorum URSINIS, Alberto URSO Marchione & Elect. Brandenburgico, Svecorum BIORNIBUS &c. &c. nunc dicam, cum sint inter primates Nobilitatis Osnabrugicæ

URSI-

URSINI, ſeu de BAER hodie Archi-Satrapæ Electorales Trev. & Brunſvic. & Satrapæ; Sic & Coloniæ Ubiorum URSINGORUM nomen nobile & illuſtre fuit ante ſecula aliquot. In qua celebritate vero verſetur Reverendiſſimus *Benjamin Urſinus* de BAER Eccleſiæ Epiſcopus hodie, conſtat inter omnes. Sic non ignobile foret dici Ein Löwenhäuter / ein Hirſchhäuter / ein Tigerhäuter vid. Virg. l. 7. Æn. verſ. 666, ad quæ verba, Cerda; *Et Pantheræ & tigridis terga, pelles capitaque ferrarum terribili rictu in terga torſerunt.* It. ex Silii l. 8. addit:

Pectora pellis obit cæſi venatibus URSI.

Degeneraſſe vero non raro quoſdam, & ſe potius involviſſe iis, quam pro pectorali, aut lorica adhibuiſſe, nec non in pellibus urſorum præcipue, a majoribus ſtrenuis cæſorum ſtertere maluiſſe, quam iis pro lorica uti, a vero alienum non eſt,

Beeſt. *Beſtiam*, ſeu *Brutum* vocant Latini. Brutorum Romanorum familia (Brutii Italiæ tractum verſus Siciliam ultimum, quondam occupabant, quam nunc Calabriam, de qua jam dictum, appellamus) antiquiſſima, a L. Junio, ſororis Tarquinii filio, quod ſtultus, aut brutum eſſet, ſeu ſtultorum & brutorum mores (vid. iterum 1. Sam. 21, 13.) ne ab avunculo occideretur, ſimularet, Ovid. 2. Faſtorum v. 717. Liv. l. 1. c. 56. Nec ignota nobis eſt Nobiliſſimorum a BEEST, familia. Ut nihil de Rege olim Germanorum Bernpeiſt / cujus mentionem injicit *Avent.* p. m. 264, &c. dicam.

Boc,

Boc, Buc inter antiquiſſimos Germanos præcipuus erat Deaſter, unde *Zerne*BOC h. e. niger Deus, BUCKE*borg* h. e. Gottesburck; De iſto, tanquam malo Deaſtro, vid. *Helmold*, l. 2, c. 12. p. m. 125. rerum Slavv. *Jüter*BOC, qui, an idem, qui Rüde Gott / diſpiciant alii; *Bel*BUC h. e. Herr Gott (vid. penul. Diſſert. IX Decad. 2. de Numis &c. &c. Ut autem Saxones iſtos, qui nemorum & ſylvarum erant incolæ (ſylvam nos ſuperiores Saxones appellamus Holtz/ Vg. ich will ins Holtz gehen ꝛc.) vocabant Holtz Saßen / Holſatos, vid. *Reiner. Reinecc.* de Saxonum Origine, p. m. 8; Sic Deos ſylveſtres vocabant Holtz-Böcke/Holtz- und Wald-Götter. *Maimonides* l. 3. c. 46. ex Zabiis, ſeu Sabæis, h. e. vere Chaldæis fuiſſe, qui Dæmones coluerint, ſub forma hircorum, & Schirim, h. e. hircos appellarint, etiam Moſis ætate, Levit. 17, 7. Conf. *Ant. von Dale* de orig. & progreſſ. idololatr. Diſſ. 1. c. 5. p. m. 95. Veteres appellaſſe das Oſter-Feuer / Bocksthorn / refert C. *Sagitarius* l. 3. c. 10. § 5. Antiqq. Gentiliſmi & Chr. Thuring. p. m. 167. Talis & erat TANFANA. Vid. *Alex. Roß* p. m. 92. & ſeqq. Simile dicendum foret de *Stein*BOCK illuſtrr. inter quos MAGNUS ille hodie ſublimi vertice ferit ſydera.

Sic puſiones excipi ſolent, du Bracke. Togatorum veterum & Romanorum & Germanorum Roma oriundis, ex utriſque miſtorum vocem fuiſſe olim, puto, in odium Galliæ braccatæ, aut etiam, Caligulæ. Et ut bracca notat veſtem, quæ thora-

thoracem, fœminalia & tibialia, uno contextu continet, ſic togatis riſum movebat. Vid. *Voſſ.* de vitt. Ser. L. L. p. m. 10. & ſeqq. *Becman.* l. ſ. c. p. 149. & ſeqq. Andream Oſiandrum dictum fuiſſe vero ſuo nomine Hoſen Enderle (Andreſgen Hoſem.) conſtat.

Brocker. Eſt paluſtrium regionum accola, (quod in præcipua felicitatis parte poſitum; Joh. 15. 19. &c.) qui & juxta *Schottelium* de L. Germ. p. m. 337. dictus ein Büttel. Aliter licet *Wolffg. Spangenberg* in der Hiſtorie der Meiſter-Sänger / qui a voce antiqua Bottheil / vel brevius, Bothel / (ευαγγελ☉) derivat. Vid. Bücher-Saals 19. Oeffn. p. m. 520. ubi ex eodem Spangenbergio docetur, vocem Schergen eſſe a Schargehn / tales autem olim dictos fuiſſe ſacerdotes, weil ſie der gantzen Schaar mit gutem Exempel ſolten vorgehen.

Du Bundſchuch frequentiſſimum in ore nutricum ac gerariarum Thuringicarum &c. Erat inter Bavariæ Principes aliquando Eckhard mit dem Pund / vel Bundſchuch / dictus ita, quia ad calceum detractum, in diſcrimine fugientes Chriſtianos milites iterum pugnæ reſtituerat, ceu refert *Latius* l. c. p. m. 267. ſ. f. *Aventinus* l. 5. Anall. p. m. 681. *Seckendorf* in Comment. Lutheraniſmi l. 2. ſect. 1. §. 1. &c. &c. &c. De cauda equina Turcc. vid. ſup. Specimen II.

Druß. Druſum Germanicum, Germanici Fratrem & Claudii patrem, terrorem & fulmen Weſtphalo-

rum & Rhenanorum olim fuisse, ex antiquis monumentis docuimus, non uno in loco Differtt. nostrarum de Numis: Et sicut Germanorum pestis fuit, ita ab his tuber, quod in medicorum scholis bubo appellatur, nostris dicitur die Drüse. Illius vero monumentum non procul Moguntio nondum penitus dirutum est, auditque der Eichelnstein / de quo passim.

Esel. In torneamento 34. inter nobilissimos equites reperitur, Peter Esel / & in 24. mentio fit integræ societatis derer Esel. Alia vid. apud *Christ. Paulini* in ejusdem Asino curioso A. 1693. & in *Gryph. Fabri* Mirandis de Asini nobilitate A. 1610. Differt. *nostra* VI de Numm. Decad. I. It. in Diss. Isagogica *Fechtii* in Colleg. Schomeri p. m. 12. Addatur *Joseph Bingham* in Origg. Eccll. p. 708. *Joh. Fr. Buddeus* in Exercit. Hist. Theol de origine, dignitate & usu nominis Christiani §. 11, p. m. 18. & seqq. Onosander quidam, seu Eselsmann de Imperatoris institutione scripsit librum unum, alium item de stratagematibus &c. Autor Satyræ Sarcmasianæ inter alia ad Sarcmasium ita: *Georgium Hornium, summum virum, cave, ne Lugduni Batavorum convenias, nam is multos antehac devoravit asinos, & vereor, ne te etiam comedat, Nosti enim martialem animum ejus viri, quem ego admiror, tu vero contemnis &c.* Interim eruditissimus Tenzelius in Colloqq. suis t. I. p. m. 580. addit: *Hic Hornius devoraturus Vossium, se ipsum turpiter dedit admodum prout & ipse*

ipse Vossius, qui professores Academiarum in Germania solebat appellare ASINOS, *cum tamen parum abesset, quin ab ipso devoratus fuisset Simonio.* De ludo tessularum, qui & ASINUS dictus, vid. *Bœclerus* in Programm. 6. p. m. 34. Genealogiam integram derer Ried-Esel ab Eysenbach, exhibet *Bucelinus* in nott. Germ. p. m. 256. A. 1597. d. 8. Novembr. Henrich ab Ittersum in insigni suo, Albo amico dato, tria exhibebat capita asininæ (quæ & in atrio & portis Generosissimorum ab Ittersum in Langenbrück conspiciuntur) & supra galea pileo adjungebat aures asininas valde insignes, addito Symbolo: *Fatum fortuna fortius. Fortibus extremum, simulatque miseris solatium est virtus.* Insigne L. B. Pauli de Reyck, quod A. 1635. Amici albo dabat Noribergæ, duos habet salientes asinos, & sequentia, M. B. G. J. A. K. R. V. B. *Exulo adhuc a Patria mea, sed reposita mihi est hæreditas ampla. Di questo mi contente meglio spero.* De ASINIIS vid. Plinius, & Antiquariorum folia. De Silesis onophagis Esels-Fresser / refert *Zeiller* Cent. 1. Ep. 25, p. m. 143. &c. &c. De festo ASINORUM du Fresne in voce *Festum*. Add. *Pfeiffer* in Origg. Lipsienss. l. 3. §. 4. 295. & seqq. De Christianis onolatris leg. Diss. VI. de Numis Decad. 1. de Judæis Specim. VI. horum Excerptorum.

De VULPE *scholastica*, vid. Spec. I. Excerptorum horum. In torneamento 33 inter illustres Equites erat Conz Fuchs / & in 34, Hans

 Fuchs.

Fuchs. It. Thom. Fuchs. A. 1290. Neithard Fuchs ex Nobilibus Franconicis in aula Austriaca inclaruit, cujus tumulus hodie visitur Viennæ. Et quem latere potest Ill. Paulus L. B. de Fuchs/ Minister nuper & belli status Potentiss. Regis Borussiæ intimus &c. &c. &c. Dominus & Hereditarius in Malchaw, Fuchshöfen &c. &c. Westphali vocant Voß/unde illustres de Voss, ex quorum generosa familia prodiit Theologus insignis & Superintendens General. Fris. Orient *Samuel* de Voss.

Galg-schwengel. Christiani merito abstinerent ab hac appellatione, si scirent a verpis nebulonibus frequenter admodum Opt. Slavatorem nostrum appellari תלוי suspensum; Plauto talis est longa litera.

Es ist mir ein Gast/ ein durchtriebner Gast h. e. versuta vulpes, aut etiam homo male feriatus. Gast Slavis Deus est, unde Rade vel Ride-GAST, sylvarum Deus, quondam Meckleburgensium & Sverinensium præcipue, cujus fanum præcipuum habebat Gadebusch. Alius vero erat Rade s. Ride*Gast*, alius Winde*Gast*, alius Salo*Gast*, alius Wilo*Gast* &c. &c. &c.

Götz/ stummer Götz/ Oel Götz. Ut vox Deaster se habet ad vocem Deus, ita vox Götz ad vocem GOtt. Majoribus nostris GOTT erat Gudzi/ & Gudzdorni/ Gottes Gericht Arnold ad Rossen p. m. 97. Sed unde OelGötz? Respondet pro me *Apulejus* (aliis Appulejus) l. 1. Floridd. p. m. 329. *Neque enim justius religiosam moram*

moram viatori objecerit aut ara floribus redimita ---- vel lapis ungvine delibutus. *Minutius Felix* in Octavio, lapides effigiatos, *unctos* & coronatos, dicit. *Arnobius* adversus gentes p. m. 13. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem & ex olivi ungvine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam &c.* Verum, unde hæc habuit Archimimus & Dei Simius? (Ferre hanc Diaboli appellationem non potest *Anton van Dale* in de Orig. & progressu Idol. & Superst. p. m. 679.) Jacobum novimus Patriarcham, qui Genes. 28, 18. & 19. lapidem, quo pro pulvinari utebatur, evigilans erexit in altare & statuam, perfusoque oleo, loco isti nomen Bethel Gotteshauß / indidit. Dicebantur dein Græcis lubricatæ tales & rudes statuæ oleo unctæ, Βαιτυλοι, a Bethel, Germanis Oel-Götzen. Conf. *Scalig.* in Animadverss. Euseb. p. m. 198. & seqq. *Dilherr.* in Cacozel p. m. 22. & seqq. Ut nihil hic de Deo Termino & Jove Terminali, nihil de Christo lapide angulari Ps. 118, 22. 1. Petr. 2, 4. & uncto Psal. 45, 8. contra Autorem Delicatissimi Salomonei Epithalamii A. 1706. scripti, dicam. Ex *Chr. Arnolds* Additamentis ad Rogerum p. 855. patet, Malabaricos idola horrida & impuro oleo perfusa, in summo habere pretio. In torneamento 34. inter Equites præcipuos erat Götz von Wülffersdorff / in 35. Wolff Götzman / it. Götz von Walmersdorff für ein Ritter ꝛc. Magnus Götze Christiani II. Regis Daniæ Mare-

 schal-

ſchallus regni erat. Joachim. Götz J. U. D. Erici II. D. B. & L. legatus in concilio Tridentino aliquando cum tribus Cardinalibus cœnabat, qui, cum de variis confabularentur unus eorum reliquis doctior inter alia; *Eſſe quendam Martinum Chemnitium, inter Theologos Germaniæ facile principem &c.* referente *Joh. Lohmeiero* in de Bibliothecis c. 13. p. m 266. Sub præſidio Melchioris Junii (vid. p. 9. oratt. ejus, p. m. 166.) publice ex cathedra fundebat verba Sigiſmundus a GOEZ, Nob. Marchiacus. Et ut dudum illuſtre hoc nomen inter arma fuit, ita Anno 1298. Blaſius GOEZE præcipua portio Senatus Imperialis liberæ Molhuſinæ meæ erat, qui poſteris ſuis pro inſigni reliquit Pentalpha, quod alii pentagonum, ſeu Druidum characterem (einem Druiden Fueß) appellant. Solebat autem hoc avita religione tanquam Averruncus ad cunarum pedes appingi vel affingi, prout Pythagoras υγιειαν apponere ſolebat, *Merula* p. 2. c. 6. p. 439. *Wagner* in Annott. ad Lutheri onomaſticon, n. 35. p. m. 222. *Lobenſtein* in Armin. p. 2. l. 3. p. m. 529. *Cornel. Agrippa* de occult. Phil. p. m. 266. & 268. *Pierius* in Hierogll. l. 47. p. m. 599. *Althamer* in Tacit. p. m. 134. &c. &c.

Geck/armer Geck. A. 1414. Delphinus Caroli VIII. filius cum 30000. militibus Gallicis concilio Baſileenſi terrorem incuſſurus, Duce Comite de ARMIGNAC, per Lotharingiam veniebat in Sundgaviam; plebs autem Sundgavienſis Gallicæ L. imperita exer-

exercitum huncce vocabat pro **Arminiacken / die armen Gecken** & dein per Aphæresin, **die Gecken** *Simler* In Helvet. l. 1. Aliter laudatus *Eccardus* l. c. ex Bocharti Phaleg. l. 1. c. 2. & l. 3. c. 13. a Gog. Epimetheo fratre Promethei derivat, quasi sit idem, quod **Gauch** / aut stolidus. Pl. v. l. c.

Hache. Saxones avarum & tenacem hodie etiam appellant **einen gierigen Hachen.** Aliter Lazius l. s. c. p. m. 402. scilicet. HACHO, *a Carolo M. in cujus castris vir fortissimus militavit, primus omnium beneficio agrum Hachbergensem adeptus est, inter Friburgum & Basileam, ubi & castrum construxit, atque a nomine suo Hachbergum nuncupavit. Ab hoc Hachone Germanis proverbium mansit. Ubi enim de sævo homine ac truculento loquimur, dicere solemus.* **Du bist ein wilder Hache.**

Hans / Hänsgen. Nec hæc aliquando sine ignominia. Virumque patremque gregis ovium &c. appellamus **Hans.** Et quis eruditorum & Theologorum nescit illud Lutheri, **Hanswurst?** Esse hoc quidem ab ענק Num. 13. 23. & 29. &c. unde ענקים Deut. 1. 28. c. 2. 11. Jos. 14. 15. e. 15. 14. &c. putat Besoldus in Thes. suo, p. m. 641. *Convenit certe inter eruditos*, ait *Petrus Dan. Huetius* in Demonstr. Evang. Propos. 4. p. m. 259. *ex illorum nomine, factam vocem* Αναξ, *qua Reges & Principes Græci appellant.* Unde vero **Hänseln** / vid. *Speidel* l. c. & *Geieri* continuatio p. m. 60. Est mihi in Albo vetusto **Hans von Hänseln.**

Sic & qui olim Noribergæ de nundinis & mercatura judicabat, dicebatur **Hannes Graff.**

Haasen-Kop / Haasenfuß. An LXX. metu, ne offenderent Ptolomæorum Philadelphum, qui ex familia Ptol. Lagi Ptolomæorum conditoris, quique teste Epiphanio (vid. Reineccius in Syntagm. p. m. 146.) ordinem quendam Equitum instituit, λαγειον cognominatum, seu leporinum, pro voce λαγως, quod est lepus, in versione sua posuerint δασυπȣς, judicent alii. A GEHASI Elisæo ignominiosum factum fuisse, statuunt alii, ex concione *Snepfii* ad 2. Reg. 5. quam historiolam recenset *Wolffg. Waldung.* in Lagographia A. 1619. p. m. 16. &c. &c. A. 1604. *Melchior Haas* Lavingensis Conradi Sax Soceri mei magni, qui & a Secretis interioribus Frid. IV. Reg. Boh. & Elect. Pal. albo inscribebat:

Præstabo Pyladem, si tu præstabis Orestem
Usus amicitiæ, Saxo perennis erit.

A. 1685. d. 29. Jan. Lipsiæ mecum in solenni panegyri una cum Bilfeldio, hodie Giessensi, Pritio, hodie Francof. Franckenio, hodie Halensi, Achille, qui infeliciter admodum præliatus est, & aliis mitra ornabatur Philosophica *Nicolaus* HASIUS Bensidelio Francus, qui Theologis & Eruditis, multis hactenus innotuit scriptis. Sic HASÆI, *Cornelius, Daniel* & *Theodorus* Hanovienses, Bremæ inclaruerunt. Ut nihil dicam de *Joach. Mathia* HAAS Augustano. Pl. vid. in *Chr. Paullini* Lagographia curiosa.

Hund/

Hund/Hundsf. Et in SS. contumelioſum eſt vocabulum Canis, 1. Sam. 7. 43. 2. Reg. 8. 31. Eſ. 56. 10. 11. &c. Infamiæ & pœnæ loco viris nobilibus & familiæ illuſtris apud Svecos & Francos perduellibus, ut canem e comitatu ſuo, aut diſtrictu, geſtarent in proximum, impoſitum fuiſſe, ex Ottonis Friſing. l. 2. c. 38. refert *Limnæus* de jur. publ. l. 6. c. 6. num 90. & *Lehmanni* Chron. Spir. *Speidelius* l. ſ. c. p. m. 520. Add. *Rittershuſius* ad LL. XII. Tab. p. 204. *Günther* vero l. 5. de rebb. geſtis Frid. fuſius rem & modum exponit. Diogenes roganti, cur CANIS vocaretur reſpondit, *quod eis blandior, qui dant, in eos vero, qui non dant, oblatero, malos autem mordeo. Laërt.* in Vitt. Phill. p. m. 347. & 356. qui de eodem recenſet, quod erigentes ſuper illius tumulum columnam, CANEM deſuper ex lapide Pario ſculpſerint. Epigramma appoſitum vid. p. 257. CANEM religioſum & devotum valde, vid. apud *Schich Saadi*, Olearii l. 1. c. 6. Turcorum Sultanum per CANEM notari, norunt inſignium tyrones, an propterea, quia Amurathes I. ubique fere ad latus habuerit 14000. inſignes moloſſos aureis & argenteis monilibus ornatos, tuo arbitrio, L. B. relinquo. Contra, (ut nihil de Romanorum CATULIS & CATULLIS dicam) tam apud Ægyptios, quam multas alias ſuperſtitione obrutas gentes fuiſſe in pretio, docet hoc Poetæ:

Oppida tota CANEM *venerantur &c.*
Sic & Anubis (at quantum Numen!) Ægypt. in forma canis adorabatur, *Pierius* prolixe l. 5. a p. 57. ad p. 63. Victimam fuisse, docet illud *Ovidii* quod l. 4. Fastorum;

Pro cane sydereo, canis hic imponitur aris.

Et quis omnes familias illustres, qui clypeis suis aut galeis dederunt canes, recenseret? Nec quenquam Nobilium latere possunt illustres de HUND, ex quorum familia A. 1597. *Johannes* HUND inter Canonicos cathedrales Colonienses, præcipuus erat. Hundsf. 2c. h. e. HUNNUS FUIT. Hunni olim, cum multas turbas trans & cis Alpes facerent, urbes everterent & agros urerent, extorres cives, & miseri coloni, si interrogabantur, unde tanta clades, & quis autor? respondebant, HUNNUS FUIT, quod contractum seu per syncopen HUNSFUIT; id quod dein imperiti rei ceu obscenum valde, a cane derivarunt, consentiente mecum *Tenzelio* l. sc. A. 1690. Vix risum tenebit eruditus, quotiescunque in Relatt. Coloniensſ. latt. offendet, *Dorsum caninum* quod vertendum esset, Hunnorum præsidium, der Hunnen Ruck / oder Retirade & neutiquam der Hunds Ruck.

Hüne / grosser Hün. Nec sine ignominia interdum dici solet, du grosser Hün / quæ appellatio ab Hunnis pariter, qui plerique proceræ erant staturæ, originem trahit. Hic daretur mihi amplissimum scribendi argumentum de tumulo & saxo, quod non pro-

procul hac urbe nostra visitur in sylva Hunni castro olim, **Hoinen** vel **Hünenburg /** hodie arci Ill. Dn. de Böselage, contermina: Tumulus ipse, seu saxum appellatur **der Hoin /** seu **Hün.** Verum cum hæc folia prolixitatem non admittant, evolvatur de isto Consultiss. Dn. de *Meinders*, Quæstor Regius & JCtus Bilfeldiensis, Fautor & Amicus noster insignis, in Dissert. de orig. & progressu Religionis Christ. sub Carolo M. & Ludovico Pio, nec non in tract. de statu Relig. & Reipl. sub Carolo M. &c. p. m. 165. & seqq. Ego ipse aliquando, in publica quadam oratione, de eodem tumulo egi, nec ubique, præcipue autem in figura erranti subscripsi Schatenio, cetera sua laude non fraudando. Satis esto hac vice dixisse, saxum hoc esse cippum Herois cujusdam Westphalici virtute & armis nobilissimi, quod procul dubio palam facerent, si removeretur, urna & reliqua. An vero data opera, an casu diffractum, judicent *αυτοπ]αι*. De similibus monumentis multa referunt Nova litt. maris Balthici A. 1700. p. m. 194. Anno 1699. p. 286. A. 1702. p. 181. & seqq.

Hermanstutz-stutzbock. Ita Saxones & Thuringi præcipue non sine ignominia hominem litigiosum appellant, simulque ovium gregis virumque patremque ducemque: Verum quis nescit ARMINIUM Germanorum Servatorem & Hannibalem, **der Teutschen Herman?** Vid. *Wasserbachii* **Herminensuel/** seu statua Harminii, & *Lohensteins* Arminius

nius. Quid, si talis post fata & multas aristas foret inter Sveciæ hostes, *Magnus* de *Steinbok*?

Here. *Aventinus* Ann. l. 1. p. m. 58. vers. Germ. die Weiber so diesen Knechten (h. e. den Soldaten des Königs Beyers in Asien) nach reiseten/ hatten auch einen besondern Hauffen / ihre Hauptmannin ist gewesen Frau Här/ soll eine grosse Aertztin und Künstlerin gewesen seyn/ davon man noch die alten Zauberinnen Heren nennet.

Kärl. Quis unquam CAROLO dignitatis supremæ inter Germanos fundatore major? Nihilominus appellatio **Kärl** a multis adeo ignominiosa hactenus habita, ut non raro propter eam multi ad singulare certamen sint provocati.

Kalmeuser Ni fallor, כל-מוסך, quod a סרך quasi ab hominum consortio totus amotus, & hoc quidem in studiorum & literarum ignominiam.

Katzenkopf. Katzen Ritter. A CATTIS, virtute & robore inclutis, hæc sunt, ut & Cattimelibocum, vulgo **Katzen Elenbogen.** Non enim ab æluris dici Cattos **blinde Hessen**/ utpote cum cattus a barbaro cattando quod idem est, ac videre, juxta *Vossium* de vitt. LL. p. m. 689, vel a catus, quod est a caveo, κατ αντιφρασιν potius derivandum, mecum sentient, qui salem habent. Et fortissimos, & audentissimos, & acutissimos in præliis olim fuisse Cattos, testis est *Tacitus*, de moribb. Germm. & ad istum *Althamer* p. m. 359, & 364. & seqq. **Katzen Ritter** vero vocati sunt ordinis civici homi-

homines palæstricam exercentes, de quorum origine & reliquis agit *Christ. Thomasius* cum *Laurentio* de *Sandrart* in Dissert. de Noricorum caussis adimendi legitimam. A. 1703.

Kautz/Käutzgen CHAUCORUM gentem incipere a Frisiis & in CATTOS usque sinuari, he Westphalos &c. idem docet Tacitus l. c. p. m. 392. It. *Lazius* de migratt. p. m. 367. Miseram interim aliquando, victus & amictus egentem, & propterea rerum tenacem & temperantem fuisse, *Plinius* l. 16. c. 1. docet, unde non adeo prodigi per ignominiam appellati **Käutzgen**. Ut vero isti & CAUCHI dicti fuerunt, ita stolidus, & imberbis sapiens sibi, appellatus fuit **Gauch** seu **Chauch**. De campis CAUCHIS, *Plinius* l. 6. c. 27. p. m. 95, olim in Mysia habitasse Cauchos, qui & Cayci, discimus ex *Virgil.* l. 4. Georg.

Saxosumque sonans Hypanis Mysusque Caycus.

Et ut Cauci s. Cauchi, sic & Mysi ipsi pro despectis & nullius pretii habiti fuerunt. Cicero pro Flacco cap. 27. Mysorum postremus, h. e. contemtissimus es &c. Nostri hi, sive ejecti, sive sponte, inde in ulteriorem Europæ partem venerunt.

Mähre / lose Mähre. Id quod in plerorumque Germanorum ore frequens est admodum. Runis **Mähre** virgo est, *Wormius*. Quemadmodum Runi suas equas, ut nostri coloni suas appellant RUNE, **Lisgen** &c. Conf. **Morhoff vom Alterth. der teutschen Sprachkunst** c. 2, p. m. 33. seqq.

Matz.

Magſ. *Voëtius* parte 3. Diſputt. ſelectarum, de Cabbala p. m. 230. inter alia, dum ſpecies Cabbalæ recenſet, ait: *Atbaſch eſt Kabbala, quæ tradit mutationem Alphabethi Ebraici, & inde ſenſus myſticos eruit; ſi* ת *ſit, ſumitur pro* א *ſi,* ש, *pro* ב *&c. & ſecundum hanc artem* מצפע *idem eſt ac* יהוה. Add. *Joh. Buxtorfius* in Synagoga Judaica cap. 9. p. m. 175. & 176. Aliter *Imman. Weber* Jurr. ac Hiſt. Profeſſor Gieſſæ, in Diſcurſu Academico de LL. divinæ poſitionis univerſalibus ſect. 2. §. 4. *In Eccleſia primitiva ad fidem e Judæis converſi, Sabbatum Judaicum etiam ceteris Chriſtianis obtrudere voluerunt, unde ſatis diu cum die Dominica Sabbatum quoque vetus celebratum, & qui id fecerunt, timidioris & inconſtantis animi homines, Μασβωδαῖοι dicti, unde vox Germanorum* Matzpoten/ *h. e. inconſtantis animi homines apud nos appellari ſueverunt.*

Mätze/Mutze. Mavortias novimus AMAZONES & Heroinas iſtas peltigeras, de quibus erudite & prolixe in peculiari Diſſ. agit *Petrus Petitus* & *Caſp. Sagittarius* in peculiari Diſſ. pariter *Lohenſtein* in Arminio part. 1. p. m. 525. & ſeqq. und Mätzeburg olim, hodie Magdeburg/ & pueris notum, die Metz und die Magd &c. Clariſſimus Dn. *Eccardus* l. ſ. c. derivat a Mutz/ quod idem, ut ait, ac Vir, qui Slavis Moſch. Polonis Muz, Dalmatis Maux vocatur; Et, ut pergit, apud Germanos ſimilis vox eſt MUTZA & METZE, ſed ea cum olim virginem denotaverit, jam de mere-

meretrice uſurpatur, & plebi, præſertim Hannoveranæ, Maxe enunciatur. Mulieres etiam Germanorum maritorum ſuorum caſtra ſecutas fuiſſe, dictum eſt ſupra, & teſtis eſt *Tacitus* l. c. De earum fortitudine ac animoſitate, refert *Cæſar* l. 1. de B. G. p. m. 39. & l. 7. p. m. 207. &c. *Strabo* l. 7. Geogr. ait Cimbros in militando ſuas ſibi junxiſſe uxores. Add. Florus l. 3. c. 3.

Ochs. De antiquo BOVIS cultu, multi, utriusque antiquitatis, pleni ſunt libri. Thomam Aquinatem a commilitonibus ſuis appellatum fuiſſe Bovem mutum, conſtat, licet diverſimode commemorent, qui vitam ejus ſcripſerunt. Ex Antonio Pizameno, Patritio Veneto, ſuccincte *Joh. Georg. Dorſcheus* in præfat. Thomæ Confeſſoris veritatis Evangelicæ A. C. repetitæ ad Celſiſſimum Comitem *Joh. Alex. Ochſenſtiernam*, rem totam enarrat. Add. *Petrus de Natalibus* in Catal. SS. l. 3. cap. 181, *Robert. Caraccialus de Lycio*, in ſerm. de Sanctt. ſerm. 47. *Volaterranus* in Anthropol. l. 21. &c. &c.

Pedant. Non a Pedo, pedere, ſed a Pedo paſtorum. Virgil. Eclog. 5. verſ. 88.

At tu ſume pedum &c.

quod Servio virga incurva, unde retinentur pecudum pedes. Et licet ſint, qui lituum, Epiſcopatus inſigne, vocent pedum, hoc tamen in ignominiam miſeris Scholarum ceſſit Doctoribus, qui vero, quo loco habendi ſint, vid. *Antonius Reiſner* de harmonia ordinis Eccleſiaſtici & Scholaſtici.

ci. Add. Speciminis. 1. Tit. 2. Scholarum Doctores & Ecclesiæ Pastoribus, quoad privilegiorum substantiam non esse separandos, demonstratum fuit aliquando in publica penegyri.

Pfaffe/Pape. Et sic non sine ignominia, ut multi putant, appellari solet Clerus. At unde **Pfaff**? A præstantissimo Ebræorum אב & Syrorum ABBA, unde Latinorum ABBAS, Arabum ABUNA & veterum Græcorum Παππα, quod Latini PAPA pronuntiabant & summis in Ecclesia Præsulibus tribuebant. Conf. *Schertzer* in Anti-Bell. p. m. 4. & 5. *Saubertus* in prodromo Philol. S. p. m. 79. & seqq. *Dicmann.* in peculiari Dissert. de vocis Papæ autoritatibus. *Hortleder* de Bell. Germ. l. 1. c. 47. f. 508, cum vulgo, ut ait, vocat Pontificem M. **den allergewaltigsten Pfaffen.** De Paparum vita **Pfaffen-Gasse** / & cur ita dicatur, vid. *Speidel.* l. c. p. m. 711. Est Spiræ domus publica, **Trützpfaffe** dicta. Lehmann in Chron. p. m. 20. Hinc numus, **Pfaffen-Mütze** &c.&c. Neminem latet venire quam plurimo unciales, **Gottes Freund / der Pfaffen Feind** / quos *Jacobus a Mellen* in Specimine Sylloges uncialium p. m. 10. & seqq. ex Liborii Paderbornensis statua conflatos esse putat; ego vero non tam ex statua, quam ex sarcophago ejus argenteo, Lipsiæ & quidem in ædibus Schurmannianis in platea Susatensi sitis, factos esse novi. Interim non multum post ex his restituendus erat Liborii loculus. Visitur hic hodie Paderbornæ a tergo summi

mi altaris cathedralis inauratus ex solido argento, ita ut in singulis, h. e sedecim angulis genuinus & inoffensus offendatur uncialis olim ex loculo factus; id quod testatur ipse capulus, dum exhibet LIBORIUM REDIVIVUM.

Philister. Raro aliter hodie cives Jenenses, ægre ipsis facturi, appellant Studiosi Salani. At quantum nomen olim & robur *Palæstinorum & Philistæorum*? Hoc sane non aliter delectabantur ac Romani voce, Quirites! Judic. 16, 9, 12. &c. At unde Philistæi Jenenses? Ante annos non adeo multos Studiosum verberibus & vario supplicio excruciatum cives necarunt, in istos jure meritoque invectus est e cathedra S. NN, usus que inter alia his: Sie wären über dem armen Menschen hergewesen/ wie die Philister über Simson. Simile vid. supra in Appell. Haaß.

Püster/Pfüster/Dickpfüster/ aut etiam **Büsterich.** A PÜSTERO Deastro flammivomo Thuringico, crassiore & pingviore ventre formato, de quo prolixe laudatus *Sagittarius* in Antiqq. Gentilismi & Christianismi Thuringici cap. 2. §. 1. p. m. 7. & seqq. *Benjamin Scharff*, ex Rectore Mulhusino iterum Archiater Sondershusanus in Descriptione juniperi curiosa; *Joh. Christoph. Olearius* in Systemate rerum Thuringicarum p. 178, 186. & 332; *Pfefferkorn* In merckwürdigen Thüringischen Geschichten p. m. 59. & 60. *Georg. Henning. Behrens* in Hercynia curiosa cap. 6. n. 4. A Chinensibus adoratur voluptatum idolum Miniso,

niso, obesissimo ventre ex orichalco pariter formatum, cujus tumido & inflato aqualiculo non multum cedit ibidem immortalitatis Deaster. Neuhoff in der Gesandschafft &c. p. m. 315.

Quad Geselle &c. A QUADIS hoc est, Germanis, ad Danubium olim, aut etiam, Hercyniam considentibus, iisque bellicosissimis, qui juxta *Ptolom.* l. 2. c. 11. Moraviam & Silesiam, dein etiam Austriam tenuerunt. *Ammian. Marcellinus* p. m. 124. sub Constantio & Juliano Impp. docet Quados & Sarmatas vicinitate, morum & armaturæ similitudine, concordes fuisse, p. 491. bellatricem & potentem gentem &c. &c. &c. Ita tunc Quadus erat fortis & strenuus manu, hostibus vero factus ignominiosus propterea, ut Hunnus, de quo supra. Vestitum & arma Quadorum exhibet *Lazius* de migratt. p. m. 494.

Rothtbart. Sive a Juda proditore, cujus barba rufa est in vulgi fabulis, & pictorum tabulis; Sive a Judæis ænobarbis, de quibus *Petri Rhemensis* seu de *Riga* dicti elegans carmen extat apud *Seldenum* de Dîs Syriis l. 1. c. 4. s. f. p. m. 156. Add. *Mœbii* Moschologiæ Disp. 1. c. 34; Unde & Fridericus I. Imp. optimæ indolis & Princeps manu fortis tam, quam consilii plenus, teste *Urspergensi*, ab Italis a rufa barba, per contumeliam appellatus BARBAROSSA seu ÆNOBARBUS *Jovius* in Elogg. l. 1. & *Rittershus.* in Append. ad nott. in Güntheri Ligurinum; quo cognomine apud Romanos familia ex gente Domitia venit, Autore L. Do-

L. Domitio. *Suet.* in Neron. c. 1. & c. 41. Add. *Terentii* Phorm. A. 1. Sc. 2. Matronas & præcipuas apud Romanos virgines, comam rufam auro contra habuisse, filisque aureis innexuisse, inspersis etiam largiter aurei ramentis passim relatum legimus. Idem fecisse Syras, constat.

Schelm. An per metathesin a **Schlem** Thuringorum, quod aliis **Schlim**; an a **Schildnehmen/** quod statuit *Harsdörffer* part. 3. **der Gesprächs-Spiele/** p. m. 155; an a **Scholtmann/** quasi **der gescholten ist**; an a picto ore cadaveris, quod Spenero placet, ita enim is in opere Heraldico p. 366. SCHELMEN *Francofurtenses in rubeo solo argenteo pictum os cadaveris, quod aliquando* **Schelm** *dici notatur, diagonali situ cum stella aurea, in scuti sinistro angulo superiori gestare amant &c. &c.* unusquisque pro suo arbitrio judicet. Nobis sufficit docuisse illustrium & antiquissimarum familiarum nobile fuisse cognomen. *Seb. Münster* (qui torneamenta exscripsisse dicitur ex Rüxnero, vid. Schediasma Christ. Ludovici quod annexuit Bibliothecæ Ittigianæ cum suis annotationibus p. m. 99. Rüxnerum vero ipsum inter doctos refert Impostores B. G. Struvius in Diss. de doctis Impostoribus §. 37. p. m. 63. De equiriis ipsis vel torneamentis Franc. Modius in pandectis triumphalibus, Thrasybulus Lepta, qui est Conradus Dinner in vita Georg. Ludov. a Sensheim. l. 1. f. 11. Matth. Bernegger in speculo boni Prin-

cipis c. 3. Caspar Lerche de ordine equestri Germ. in fundam. 2. summar. 75. & seqq. Joh. Limnæus, de jurepubl. l. 1. c. 5. Barthol. Clamorinus, qui Rüxnerum excerpsit; universam vero ludorum equestrium historiam plenius exposuit laudatus Struvius, in peculiari dissert. Jenæ A. 1689; Apparatum integrum exponit Moscherosch im Thurnier it. Lohenstein l. c. passim) in ludo 34. p. m. 1262. ita: In der Gesellschafft im Steinbock war Eitel Schelm von Bergen/ & *Goldastus* part. 1. der Reichshändel p. m. 119. f. f. Unter den Churpfältzischen Frauenzimmer war auch Ursula von Schelmin/ *Ziegler* alicubi, war ein Geschlecht und Ehren Nahme.

Schalck. Idem ac administrans aliquam provinciam, seu Administrator. Hinc Gottschalck/ Marschalck/ Aulæ, Sacrorum &c. &c. Præfectus. Esse, qui MAR idem esse volunt ac MARS & Schalck ac schalten h. e. verwalten / unde potius dicendum der Feldmarschal / non Marschalck / refert *Joh. Bödicker* in Grundsätzen der teutschen Sprache p. 1. 67. &c.

Spitåler. Ab HOSPITALARIIS, ordinis equestris, qui Xenodochium Hierosolymis, juxta sepulchrum Dominicum custodiebant, & Johannitæ dicebantur, *Hospinianus* de vott. Monast. p. 187. &c. &c. &c.

Strohbarth. De hac appellatione legatur Specimen 3. B. 2. Ir. Decad. 1. de numis §. 38.

Stroh-

Stroh-Juncker. Vulgus putat a stramine, sicque appellat eos, quibus culmen pro tecto aut tegula, in fenestra stramen pro vitro &c. Melius *Schefferus* in Lapponia sua c. 10. p. m. 106 & seqq. auff den Tiermes (*qui est Latinorum Jupiter*) folget der Storjunckare. Et pp. dieses Wort ist aus dem Norwegischen entlehnet / denn die Norweger nennen ihre Befehlshaber Junckare / die Lappen Stor (Stro) Junckare h. e. *Vicarius Tiermis s. Jovis, Dominus & Patronus omnium ferarum.* Quanti veteres fecerint vocem Juncker / docet *Speidel.* l. c. p. 353. Apud *Spangenbergium* in Chron. Henneb. l. 5. c. 5. Otto Regis Daniæ filius & hæres, vocatur Juncker Otto von Dennemarck. Carolum M. concessisse Episcopis vicarios Comites & Nobiles, qui Juncker appellati, vid. apud *Krantzium* passim &c. &c.

Schufft A שפט, quod judicans, judex, unde ספר שפטים Liber judicum A Carolo M. pro judicibus plebi datos fuisse Comites & Nobiles primarios, jam dictum fuit, qui, cum postea a Judæis / quibus domicilii libertas concessa erat, vocarentur SCHOPHTIM, hoc a vulgo in ignominiam trahebatur, putante, ægre istis admodum fieri, si appellarentur Schüffte / perinde ac si Judæi nominarentur Mauschel / de quo supra.

Schurcke In comitatu Græcorum in concilio Constantiensi, erat inter alios cum Manuele Chrysolora eques quidam nobilis Schurcka.

Sophiste Hodie impoſtorem, verborum extortorem & contortorem peſſimum notat, cum olim honorificum, & ſingularis exiſtimationis plenum eſſet nomen, quo nemo, niſi in optimis artibus & ſcientiis verſatiſſimus, dignus habebatur. Non hic ego ſilentio prætermittere poſſum quod Nunneſius in Inſtit. Philoſ. Peripat. refert & p. m. 84. docet, *non licere cuivis, quo nomine velit, in quacunque re uti, quomodo*, ait, *Diodorus ſervum ſuum appellabat nomine conjunctionis Græcæ* ἀλλαμεν, *i. e. Atqui, ut irrideret illos Philoſophos, qui natura nomina ſignificare arbitrabantur, (ſic vulgo Johannes Contra, homo contradicendi ſtudioſus nominatus)* Quemadmodum Miſnici multi oratores iſtos funebres, in quorum ore frequens hæc tranſitio, **daß aber/** appellare ſolent **Aber-Männer.**

Thor. Hoc idem ac **Narr** &c. Latinorum Jupiter, qui, ut jam dictum, Lapponum Tiermes, his tam, quam Thuringis etiam eſt THOR *Tenzel.* in coloqq. menſtrr. A. 1689. p. 380. & ſeqq. ſicque Thuringus quaſi Dei filius. Conf. Sagittarius l. ſ. c. ubi ex Ad. Bremenſi probat, & tradit, in præcipuo Ubſolæ templo ex ſolido auro parato, potentiſſimum Deaſtrum THOR, in medio ſolum habuiſſe triclinium l. 1. c. 3. p. m. 32. & ſeqq. Sale hæc fricat *Winckelmann* **im gründlichen Bericht vom Urſprung der Thüringer** p. m. 17. ſcil. Thuringos ab hoc THOR neutiquam appellari, licet Deaſtrum non neget, ſed dignitatem

tatem ejus ex Olao M., Saxone, Stephano & Trogillo prolixe aſſerat. Add. *Chriſtoph. Arnold* in Appendice Roſſ. c. 5. p. m. 40. & ſeqq.

Tölpel/Tülpel. *Petrus Hondius* tulipas appellat Tülpel/ & addit *Laurenbergius*; *Quo nomine ſolemus per ignominiam appellare homines inurbanos & ruſticos* Narrenkruid/ *quia in nullo flore ita inſanitur, ut in tulipa, nataque inde eſt, tulipomania.* Sunt mihi indices MSCti, & genealogiæ eorum qui Norībergæ ad dignitatem Senatoriam admitti, vel non admitti poſſunt, quinque aut ſex ſeculorum, in voluminum horum uno; der Tölpel Gedächtniß seyn etliche Schild/und eine Taffel im Prediger Kloster/ der älteren hat die Jahrzahl 1500. finde sonst nichtes von ihnen.

Tyranne Ex *Cornelii* Miltiade & Lexicis, pueris etiam conſtat, apud Græcos Regis & Tyranni aliquando nullam fuiſſe diſcretionem. Proprium etiam fuiſſe, memoriæ prodidit *Lucas* in Actis. *Ariſtophanes* in nubibus Jovem vocat Θεῶν τύραννον. *Servius* in Virgil. l. 7. Æneid. ad verſ. 266.

Teuffel Non hoc a Græcorum Διάβολος, ſed a veterum Saxonum TIBILIO, quod numen horum & Celtarum patrium erat, deducendum eſt, ut Latinorum Vulcanus a תובל־קין. Scilicet ad Chriſtum converſi hi, quo in fide & religione ſuſcepta eo cordatiores forent, nomen Deaſtri ſui, (quos deinde imitati etiam alii,) famoſiſſimi, tran-

transtulerunt in Christiani nominis hostem Satanam, quem appellarunt **Thübel**/ unde deinde **Teuffel.** Multa, eaque erudita atque jucunda habet *Thomas Reinesius* in Commentatione de Deo Endovellico D. 2. & seqq. MSCtum Noricum l. c: Inter alios erat Scabinos A. 1332, Conrad **Teuffel**, A. 1360. portio Senatus fiebat Barthold **Teuffel.** Castrum TIBELINUM seu TIBELIUM **Tieffels**/ vel **Dübelsburg**/ totis latens ruderibus prope Osnabrugum nostrum, in Monasterio vero Dnn. Prædicatorum imago, visitur cum hac inscriptione; *Rembertus in Düvelspurg, equestris ordinis, Osnabrugensis, vir pius, multumque devotus fundat monasterium crucis, dictum Nottorff, ordinis Prædicatorum intra civitatem A. C. 1295. illud cum Ecclesia ædificat, & ipsemet relicto seculo ibidem ordinem ingressus, tandem secundus Prior illius loci & pie & religiose obiit.* M. Nicolaus **Jagen Teuffel** Superint. Misnicus, unus erat ex duodecim Theologis, qui ab Electore Saxoniæ in arcem **Lichtenburg** ad Albim, dein cum aliis etiam Torgam vocabantur, & quibus negotium conscribendæ F. C. dabatur. Sic belli domique spectata fuit virtus **derer Mann Teuffel** ꝛc. ꝛc.

Visiöner. Blennum, fanaticum & fatuum hodie nobis notat, cum tamen Visio in Bibliis aliud non sit, quam revelatio rerum & actionum mirabilium & absconditarum, quales habuerunt Moses, Prophetæ & homines sancti. Ita etiam *Moses* ipse

ipse Exodi 3. 3. Videbo VISIONEM hanc magnam. *Basilius* in cap. 2. Esaiæ; *Tunc utuntur Prophetæ nomine Visionis, cum manifesta rerum futurarum repræsentatio, velut in speculo spectanda proponitur*; Et *Hieronym.* in cap. 12. Oseæ, *Omnis Prophetia in Scripturis SS. appellatur Visio.* Sed de his aliquando pluribus in peculiari titulo.

Quomodo in aliquibus a me dissentiat Excellentissimus Dominus Ekhart, patet ex his, quas d. 3. Nov. 1713. Helmstadio ad me dedit:

Hoch-Edler

Sonders Hochgeehrter H. Rector.

Ich habe dienstl. zu dancken vor communication dero artigen speciminum, weil sie just in mein Forum lauffen / so haben sie mich desto mehr vergnüget / und wünsche ich von hertzen mehr derselben zu sehen: Wo Zeit hätte / würde eins und anders erinnern. Mit ein paar Worten melde nur / daß ich **Maulaffe** corrupt halte vor **Mohraffe** / in Æthiopien sind die grösten Affen / Baccalaureus Schildtrager a militia vox deinde translata ad literatos. Bachant ist aus *becjaune* corrumpirt, wie denn eben daraus das Lat. *Beanus* entstanden. Die Studenten haben es in medio ævo von Pariß auff die teutsche Universitäten gebracht. *Boc* non apud Germanos, sed Sla-

vos Deum denotat. Druß unde dictum sit, videbis in schediasmate adjecto (erat hoc Hymnus magnus Ecclesiæ, quem Te Deum laudamus vulgo vocant, seculi IX. initio in Theotiscam lingvam conversus, in quo a *truht* seu drotte, quod deum aliquando denotabat, derivat, unde dein truhts vel druhts drusen, tumores periculosiores, bubones pestilentes, & sic imprecatos fuisse veteres hisce epilepsiam &c. Nobiscum vero facere Spangenbergium Erichium, Dresserum, Dürrium, Zeillerum, Teschenmacherum & alios, fatetur) Hache/ ist nicht von Hagone, sondern heisset ein Ochse und auch einen Kemper. Hunds ꝛc. ist von alten *quindvot* welches in pacto legis Salicæ stehet/ und cinædum, virum muliebria passum, proprie membrum muliebre bedeutet/ corrumpiret. Ich zeuge es in notis ad L. Salicam breviter edendis. Hexe wird auch in meinem Te Deum erkläret (ibi vero ita. Hexe proprie est mulier sapiens, quæ in rebus dubiis ratiocinando sententiam dicit, quæ cogitando præsentia & recogitando futura sapienter enunciat; voce hac ab Hugen, mercken, im sinn haben Hugu, sinn, verstand &c.) Kalmeuser ist aus Franckreich kommen/ von Cornemusar so Rabelais etliche mal brauchet/ bedeutet eigentlich einen grillenfängerischen Clericum oder Pfaffen. Mutze oder Metze differunt, vid. Excerpta ex Epist. mea ad Stadenium in Bücher Saal/ (nimirum XXII.

Deff=

Oeffnung p. 711. & 712. ubi inter alia, Mot sagt man beym Holänder Lupanar, prostibulum latibulum meretricum, daher ist unsere Mutze vor eine Hure &c. &c.) Schelm ist ohnfehlbar cadaver, etwas das unter Schinders hand gewesen/ und also infam ist. Schurcke deviviere ich von barbaro lat. Circa, und meine/ es sey proprie delator, hernach homo nihili, und sey aus denen Klöstern in die Welt kommen. Dieses schreibe ich in höchster Eile/ und bitte nochmals mit dergleichen artigen Untersuchungen zu continuiren &c. &c.

Idem Celeberrimus Vir paulo ante sequentem in modum ad me scribebat:

Vir Clarissime.

MAximo meo cum gaudio honoratissimas Tuas Helmstadii cum dissertationibus eruditis accepi, & respondissem statim, nisi Sermi Electoris mei jussu mihi Hanoveram eundum fuisset, & ibi me plurima negotia districtum hactenus tenuissent. Jam non quidem adhuc liber, sed aliquam temporis intercapedinem nactus, non possum Tibi non gratias agere summas, pro benevolo in me meaque affectu & pro erudito munere, quo me donasti. Meas non est quod extollas etymologicas tricas, conjeci eas in chartam mille occupationibus, itineribus etiam occupatus, & quod ante omnia me tum in diversa trahebat, sponsus.

ſponſus. Et multa alia forſan etiam meliora addere potuiſſem, ſi vacaſſet. Diu enim jam eſt, quod graviores labores hiſtoricos etymologicis diſquiſitionibus interſtinxerim, & magnum ſane cumulum rerum huc ſpectantium, congeſſerim. Ut enim pauca quædam ex multis commemorem, ſunt mihi gloſſaria Teutonica decem diverſa & MSta, temporibus Carolinorum confecta, ſunt omnia ſcripta medii ævi, quæ b. m. Schiterus publicare voluit; Sunt cantica Amatoria celebrium rhythmopœjorum trecentorum a temporibus Henrici IV. ad Henricum VI. & magnus numerus Anglo-Saxonicorum Gothicorum librorum, &c. & Amici eruditi ſymbolas ſuas adjiciunt, quam ſumma cum lætitia quotidie fere accipio. Hæret tamen in opere intricatiſſimo nihilominus hinc & inde quotidie aqua, & obveniunt ſemper, quæ Oedipum fere expoſcant. Neque enim autoritatibus aliorum doctorum unquam me abduci ſino, ſed ex reipſa, & antiquis monumentis manum quaſi ducentibus, quod mihi videtur, ſtatuo. Et doleo ſane doctiſſimos viros, Freheros, Goldaſtos, Wehneros, Junios, Schotelios, Cangios, Ferrarios, Menagios, & quos non, quavis fere pagina mihi refutandos eſſe. Gaudeo autem, non pauca, methodo mea, in ſcriptoribus medii ævi reſtitui, melius intelligi, & explicari poſſe, quæ hactenus non ſine damno inſigni neſciebantur. Si itaque, vir clariſſime haberes, & non dubito, quin habeas, quæ me juvent inſtru-

antque

antque, etiam atque etiam Te precor, ut mecum illa communia esse velis. Cogitata etiam & dubia, lubenter audio; ante omnia autem verba provincialia usque rara & monumenta Germanica mediorum temporum, desidero. Amici retulere, excudi jam Hamburgi eruditissimi quondam apud Bremenses viri D. Meyeri Glossarium Saxonicum, quod ille magna cura confecit. Id mihi plurimum proderit. Conficit quoque Pastor quidam apud Wustrovienses Lexicon vocum Venedicarum, quibus Semi-Slavi in Luneburgici ducatus præfectura Dannebergensi adhuc utuntur, misitque mihi nuper specimen sic satis curiosum. Dn. de Eyben in eo est, ut edat corpus constitutionum imperialium, eique annectet Glossarium vocum ignotiorum. Sed diutius Tibi incommodus esse nolo, ideoque me favori tuo de meliori nota commendo, commercium literarum Tecum mihi stabile exopto & jugiter persevero Clarissimi nominis Tui cultor devotus

ECCARDUS.

Sed ad Gigantes revertor, de quibus inter alia Clarissimus Vir Dn. Iodoc. Herm. Nunningius, ICtus Canon & Scholast. Vred. in epistola prolixa & erudita d. 15. Cal. Maj. 1715. ita ad me scribit: *Majorum nostrorum proceritatem, quam statuis, nullam quoque penes me habet controversiam, eam tamen Gigantæam fuisse, vix solido satis argumento hactenus persvadeor, unde curiositati meæ calcar addit, dum humani sceleti vertebram tibi in rari-*

thecio

thecio ſupereſſe ſcribis, at unde quæſo tibi illa? Ubi & quo anno reperta? has ut & alias locorum temporumque circumſtantias penicius tibi aliquando inſpicienti haud dubio occurrent, quo monumenta patriæ illuſtrentur. Eruditiſſimus hic vir totus in eo eſt, ut integra propediem in lucem edat monumenta Monaſterienſia. Ceterum mea hic eſſe volo Pom. Melæ lib. 3. de Germania verba: *Qui habitant, immanes ſunt animis atque corporibus* (& ſi non ſinguli, inter iſtos tamen non pauci, ceu olim Arba inter ipſos Enakim, invaſores inter violentos & prædones, **unter denen Schlag tot** &c. נפילים, רפאים, Goliathque inter Gathitas) *& ad inſitam feritatem vaſte utraque exercent; bellando animos, corpora ad conſvetudinem laborum.*

12 Reliquiæ in altari vetuſtiſſimo ædis in incluta Lippia antiquiſſimæ, quæ a D. Nicolao nomen habet, A. 1695. inventæ. In pellucido liquore qui tamen extemplo in vaporem abibat, tunc natabat dens inſcior, in vitro ατϱαχηλω; in oblongo, ſed minori reſiduus conſpicitur cruor; in capſula plumbea ſerico vetuſtate corrupto involutæ ſunt partes cranii trimuli aut bimuli cum dorſi vertebra. Integram ego de his & aliis reliquis conſcripſi diſputationem Lipſiæ A. 1697, quam quoque publice ibidem eruditorum examini ſubjeciſſem, ni, dum conflictum meditabar, huc Oſnabrugum vocaſſet me divina providentia.

13 Cine-

13 Cineres ex Romanorum urnis

14 Urnæ aliquot fractæ in Agro Osnabrugensi effossæ una cum dentibus & ossibus quibusdam. Operam Urnis, Monasteriensibus præstitam laudatissimi Nunninghii, supra jam laudavimus; accessit Joh. Henr. Cohausen, Medici Ossilegium Historico-Physicum, in quo de urnis Germanorum etiam erudite & prolixe disseritur. 1714. Coesfeldiæ. in 4. Duos, effossorum meorum, miseram D. Nunninghio dentes quousque e gingiva eminuerunt, parumper incurvatos, acuminatos, nitidissimeque politos, ebori aut etiam marmori parum cedentes, in radice vero perforatos, ad quos ille ita respondit: *Submissos in sciagraphia dentes, quod attinet, si vera sunt Plinii l. 7. natural. Hist. c. 16. dentes Vulcani examen ludibrio habere asserentis, non temerum quis dixerit, e rogi flammis & hos evasisse; Verum quanquam Arist. l. 3. de Hist. animal. c. 7. solos dentes inter ossa ferri aciem respuere statuat, attamen huic & igni cedere, moxque in pulverem reduci, nullam hodie amplius dubitationem habet, de quo late Clarissimus Cohausen in suo ad sepulcretum nostrum Ossilegio. Nobissima alias est dentium inter se varietas, atque distinctio, dum alii incisores, tenues & lati arripiendis, discindendisque cibis nati, Græcis τομεῖς, dicti, alii vero, atque bis proximi, canini, a figuræ similitudine canis dentem repræsentante, græce κυνο-*

δόντες

δοντες denominati, tertia dentium species molares nominata Græcis μόλοι figura lati, qui asperam & varie cuminatam, inæqualem tamen passim habent superficiem, ita a natura conformati, ne quid exactiorem molitu·am subterfugiat; Hæc qui maturo subjicit examini depictos dentes forsitan hominis esse, atque caninis annumerandos rebitur, quam opinionem confirmat unica illa dentis atque solida, quam uterque ostentat, radix, molaribus, ceu docet experientia, jam in tres, jam sese in plures radices diffindentibus. De Urnis veterum Romanorum tam, quam Germanorum vid. Joh. Christoph. Olearii, Amici nostri & Fautoris honorandi Mausoleum in Museo, qui p. 29. & 30. ultra LX. in medium profert, quique scriptis suis veterum urnas illustrarunt. It. Joh. Dan. Major im bevölckerten Cimbrien cap. 27, 28 & 29, & Heumann in Schlesischen Meßlischen/ Schauwürdigkeiten.

15, 16 Duæ lampades ex Romanorum Catacumbis. Fabulas esse, quæ de luce perpetua subterranea traduntur, docet Petrus Petitus, Exercit. 2. de natura ignis & lucis. Phosphorum fuisse, ex lotio putrefacto & vitriolo Romano ac lapillis fluminis factum, Petrus Maria Caneparius, quem Kunkel aliique exscripserunt, refert.

17 Aminanthus ex museo Ciampini. Pars hujus asbesti contexta est. Vid. Plin. l. 19, c. 1. Aliquando huic lino involuta fuisse defunctorum

cada-

cadavera, ſtatuit Ph. Bonanni in Muſeo Kircheriano Claſſ. 3. Extant Joh. Clerici Obſervationes de ligno quodam igni non obnoxio, ex Andaluſia allato, decerptæ ex tom. 12. Bibliothecæ ejus ſelectæ. Amſtelædam: 1707.

18 Deus helluinus petrefactus ſex pondo,

19 Alius, unius. Utraque a me deſumtus eſt e capite ingenti, ſceleti, quod Lippiæ effoſſum fuit, cum urbs hæc vallo circumdaretur. Integrorum horum commentarium habebit, qui evolvet W. Ernſt. Tenzeli epiſtolam de Sceleto Elephantino Tonnæ effoſſo, ad Antonium Magliabechium Magn. Ducis Hetr. Bibliothecarium 1696. Oſſa iſta Tonniana effoſſa fuerunt 1695, noſtra, ni fallor 1670. De iſtis agunt etiam Acta Eruditt. Ao. 1697. p. m. 10. & ſeqq. in quibus caput ei quod eſt Lippiæ, & dentes molares his noſtris, proxime accedunt. Addantur eadem Acta Ao. 1684. menſ. Decembr. putatque B. Tenzelius ſupereſſe hæc ab univerſali diluvio, quem vero cum Boxhornio in Inſtitt. Politicis, Iſaaco Voſſio libro de vera ætate mundi c. 12. & in epiſtola ad Andream Colvium Dordracenum rident homines quidam novi, ſtatuentes, Diluvium illud tantum illam Aſiæ partem, quæ tunc habitabatur, obruiſſe, reliquas inundationes, ſi regiones ad habitandum commodæ fuerunt olim, ubi nunc ſunt maria, fuiſſe particulares, totum autem

orbem nunquam aquis demersum fuisse. Istis vero, ut ex Reformatis præcipue Maresius disp. 7. adversf. Præ-Adamitas, Philippus de Prieux Animadversionibus in librum de Præ-Adamitis p. 70. 71. &c. sic ex nostratibus isti, qui pariter Peyrerio insurrexerunt, Vg. Dannhauer, Hilpert, Micrælius &c. strenue se opposuerunt, veritatemque divinam defenderunt. Ceterum huc etiam pertinent Joh. Baptistæ Scaramucci Medici Urbini &c. Meditationes familiares ad Antonium Magliabechium in Epistolam a W. E. Tenzelio conscriptam Urbini 1697. in 12. It. Rudera diluvii testes, Zeichen und zeugen der Sündfluht Buttneri Lipf. 1710. in 4. cum tab. æneis. Et laudatus Kæmpferus qui in Amœnitatibus p. 430. scribit, se in ipsis montium nubes altitudine superantium fastigiis rupes offendisse ex meris conchis & cochleis marinis concretas, testes diluvii omni dubitatione majores.

Ad 51 usque integræ conchæ & cochleæ, majores & minores albæ, fussæ & atræ, cineraceæ quoque in lapides mutatæ, quarum quædam integræ ex lapide, cui insident, eximi possunt. Conchitæ cinerei hic se offerunt striati, Myistæ oblongi & rotundi, stricti & sine striis, ostracis lapis, &c. &c.

152 Alius conchites pyrites, cujus & medulla pyrites, ille etiam ad eliciendum ignem aptissimus est.

153 La-

153 Lapis Megaricus cinereus, qui totus e conchis rotundis ſtriatis, cochleis, cornibus Ammon. innumerisque aliis figuris, quæ in eo conſpiciuntur, conſtat, ære ſane, & ſculptore digniſſimus. Cur vocetur Megaricus a Jonſtonio in not. reg. miner. ex Agric. l. 7. foſſ. refert Lachmund in Ορυκτογραφια Hildesheimienſi p. m. 46. nimirum, quia ſimiles lapides olim Megaræ fuerunt effoſſi, ex quibus, ut autor eſt Pauſanias, fuit monumentum Phoronei & multa opera in urbe Megarenſium. Hic noſter Lachmundino longe præferendus cum plerisque noſtris petrefactis, natales ſuos debet rivo hujus noſtræ diœceſeos, quem quidem fere dubito an honeſte nominare poſſim utpote cum a meiere noſtris appelletur, die Miegbecke vicino alii, quem a creta nigra, quæ ibi reperitur, nominant die Krietbecke Inter ſexcentos alios, triginta penes me reperiuntur ſelectiores, quos ipſe inde ego petii, quorum ſingulorum effigiem ſi apponere poſſem admiratione digniſſimi forent. De eorum cauſa formatrici Mxme Rev. Dominus D. Schmidius, Abbas, aliquando mecum egit per literas; Offendi ego in iſtis in gyrum volutos vivos, aut etiam mortuos, nec dum petrefactos vermes, in aliis jam tum in lapides mutatos, & ſenſi, alios increviſſe, incrementum alios ex ortu exiguo ſumſiſſie maximum.

Ad 200 usque Maximum & elegantissimum *Ammonis cornu*; cum duodecim aliis, *crystallus* maxima sculptoris arte polita & in varias areolas divisa, quæ adamanti Bohemico virtute & splendore non postponenda; minores, in nostro agro repertæ; *Ceraunius* major. Huic an tanta, ut vulgo fieri solet, adscribenda sit vis, aut etiam e nubibus, quæ multorum est opinio, decidat, post alios disseruit aliquando Gothofrid Voigt, cui jungantur recentiores Systematum Physicc. Scriptores; Aliquot *bufonum lapides*, quorum quidem cinerei, unus vero, duarum fere unciarum, isque ovi instar dimidii, pellucidus & luteus, præter strias squamarum instar, areolas habet lepidissime formatas. Alius minor luteus, medullæ suæ, pyritæ, qui percussus ignis edit scintillas, adhuc insidens. Brontias etiam appellant. In bufonum senum & magnorum capitibus reperiri tales, credat Magirus in physiolog. sua l. 5. c. 2. p. m. 336. non ego, ni poraces, chelonitidesque & brontiæ inter se discrepent. Suo more, h. e. erudite admodum de his disserit Phil. Jacob Sachs in Gammerologia cap. 14. §. 9. p. m. 297. & seqq. cui jungatur Christian. Franc Paullini Bufo curiosus; *Ætites* oblongus luteus & nitens quinque unciarum callimum solutum & sonantem in se continens; *Belemites* luteus & pellucidus minor sed niger admodum; alius paulo major isto, luteus totus,

pervius,

pervius, ut ſtylus poſſit tranſmitti. Reliquos ſingulos cum variis *dendritis*, quibus plæræque noſtræ lapidicinæ abundant, apponere piget. *Cinereus* & politus admodum lapis trium fere unciarum ovi gallinacei magnitudinem ſuperans quem execrevit *equus*, (quod quidem ſingulis menſibus facere ſolitus fuit) equilis Electoralis, quod hic eſt, ſplendidiſſimi de talibus vid Sachſen l. c. p. 299; *Alius*, nitore ſuo niveum antecellens marmor in inteſtinis *vaccæ* hic repertus; Duo *rupricaprarum*; *Bezoar* orientalis non vilis pretii. De Bezoar egregie ſcribit. Nobiliſſ. Kæmpferus §.3. faſc. 2. Amœnitatum ſuarum, p. m. 391. & ſeqq. Alius in *gallina* repertus Teckleburgi uncialis fere ovo columbino major in ſilicem hunc nitidum abiiſſe ovum gallinaceum, mihi perſvadeo. Ut de *gloſſopetris*, *ſerpentum lapillis*, *unicornufoſſili &c.* nil dicam, ſimulque *ramos corallinos* ſolidiſſimos eosque rubros, *lapides ſpeculares*, & multa alia mittam. De quibus & ſimilibus, evolvi poſſunt &c. laudatiſſimus Sachs l. c. paſſim, Bonanni in obſervationibus circa viventia quæ in rebus non viventibus reperiuntur. Plin. l. 29. c.3. Boet. l. 2. c. 14. ubi de bufonite refert, quod vetus ſuperſtitio crediderit, ſi inderetur enſis manubrio, iſtum promovere victoriam, quemadmodum in Phyſiotechnotameo Gottopienſi p. 36. me legiſſe memini Cornu Hammonis

olim inter cimelia relatum fuiſſe; Michael Lochner in Diſſ. de Dendritis aliisque lapidibus, qui in ſuperficie figuras exprimunt; Gott-lieb Fried. Mylii Memorabilia Saxoniæ ſubterraneæ Lipſ. 1709. in 4; Obſervationes Hartleji de conchis foſſilibus ſ. conchite; Hubertus Hoocke in operibus poſthumis. Caroli Nicol. Langii Medici Lucernenſ. Hiſtoria lapidum figuratorum pictorum, figuratorum petrificatorum, figuratorum intortorum, turbinatorum &c. It. de ætite, conchita, ſeu bivalvi &c. Lucern 1709. in 4; Scheuchzeri Lythographia Helvetica curioſa, 1702. in 8. cum tabb. æneis; ejusdemque Epiſtola ad J. Chriſt. Sturmium de generatione conchitarum; Lapis Lydius Philoſophico Pyrotechnicus ad oſſium foſſiliumque docimaſiam Joh. Sam. Carl Francof. 1703. in 8; Conſiderazioni ed Eſperienze intorno al creduto Cervello du Bue impietrito, vivente ancor l' animale, preſentato dal Sig. Verney all' Academia Real di Parigi, fatte da Antonio Valliſtieri Pad. 1710. cum figg. ænn; De generatione talium lapidum & cauſa efficienti præcipue Otho Sperling in peculiari epiſtola ad Collectores Lubecenſes ſuper relatione ex Jutia Septentrionali de nummis ſilice repertis Anno 1700. Admiratione digna ſunt, quæ de textore, textrina, petaſonibus, pernis, ſuccidiis &c. recenſet *Valvaſor* in topographia Ducatus Carinthiæ, & ex eo Tenzel. l. c. A. 90. p. m. 99.

201 Arbor ultra pedem alta, e durissimo & solidissimo silice prognata, una cum silice, in quo variæ ejus eminent radices.

202 Penis caninus e silice nigra affabre a natura formatus.

203 Integra testudo major duabus spithamis.

204, 205 Duæ aliæ minores, & quidem Indiæ orientalis spolia. Alatas & volantes Chinensium rite exsibilat Kircherus in China illustrata p. m. 205.

206 Inter sexcentas conchas & cochleas rarissimas notamus Concham trium pondo & dimidii; *Cochleam* paulo minorem; concham *echinatam*, seu vulvam aliquando auro contra caram habitam. Aliquot *Venereas*, majores & minores, quas Galli Procollaines, Germani Hachmuscheln vocant Vid. Plin. l. 9. c. 25; *Margaritiferas*, cum margaritis & unam cum unione suo &c. Conchis & cochleis operam suam navarunt Bonanni in Recreatione mentis & oculi in observatione animalium testaceorum Rom. 1684; Martinus Listerus in Conchyliorum Bivalvio utriusque aquæ, quod continet Exercitationes aliquot; Wodwadus Anglus, in libro de conchis exoticis; Matthias Henr. Schacht in Diss. Philol. Hist. Physica de cochleis conchis & conchyliis, quique in præfatione Musea quædam Europæ rariora recenset, in 4; Georg. Eberhard Rumphius in Museo Amboinico & plures alii.

207, 208, 209 Arbor marina duorum fere pedum, leva marina, Stella marina.

210 Alcis os cum ungula.

211 Manucodiata. Falluntur, qui credunt carere pedibus, longa & gracilima crura pedesque tenuissimos, quibus arborum ramis se annectit, cauda tegit.

Usque ad 217 nuces Indicæ, quas Cocos appellant, quarum una maxima cum medulla, alia polita & admodum nitida est.

218 Gladius cujus lamina anceps cubitum & tres quadrantes longa, inscriptum gerit nomen, Sebastian Fernandez, capulus vero molis maximæ ac miræ amplitudinis non solum imaginibus ex solido argento factis, sed & novem primorum Imperatorum numis inauratis, tessellis insitis & emblematibus adeo coruscat, ut nihil supra; Hoc in bello Smalcaldico usus fuit fidei nostræ orthodoxæ propagator inclytus & a latere Joh. Frid. Electoris pugnans, heros atavis natus Westphaliæ Comitibus. Et cur non hunc innumeris aliis gemmis etiam nitentibus & auro præferrem, cum sciam non sine ratione Viros nobiles in summo habere pretio

Auro squalentem loricam, alboque Orichalco
Ensem clypeumque, & rubræ cornua cristæ,
Ensem quem deus ignipotens excudit in antro
Cyclopum & stygio candentem flumine tinxit.

Et

Et cur non tantus gladius pertineat ad Museum, cum olim arma & præcipue gladii loco sacro aut etiam publico suspenderentur atque custodirentur, imprimis virorum fortium, qui pro patria & fide strenue certaverant. Sic Barthius lib. 19. Adversariorum c. 12. laudat Juvencum Calanum, qui ita de Attila; *Processit in Scythiam, Regemque Scytharum sibi tributarium reddidit, apud quem invenit gladium Martis, cujus gladii munere gratulatus, quasi sibi totius orbis offerretur imperium; Martis gladium præ se, quacunque iter arripuisset, ferens.* Conf. 1. Sam. 21. 9. Sveton in Calig. cap. 34. De cestu Ziskæ ad tumulum ejus in sacrario Czaslaviensi appenso recenset Zachar. Theobaldus in Bello Hussitico, p. 1. p. m. 229. quod ad conspectum ejus Ferdinandus I. gloriosissimæ memoriæ Imperator exclamaverit, Pfui! Bestia mortua post centum annos terret vivos, extemploque cum suis ex sacello & oppido Cuttenbergam demigravit. Nec invenustum est, quod de isto Poeta fecit olim carmen:

Rasa papistarum timuit quem turba Johannes
 Conditus hoc celebri marmore Ziska jacet.
Ille tuæ vindex, Hussi sanctissime mortis
 Hostes dum calicis persequeretur, erat.
Fit via vi, rumpitque aditus, monachosque trucidat
 Quando virum Christi pro grege Zelus agit.
Testis erit pendens, sparsoque infecta cerebro
 Clava hæc, quæ monachis Terror & horror erat.

Pro ſimulacris aliquando enſes fuiſſe cultos, teſtis eſt Solinus c. 20. Adorari etiam arma & trophæa in ſummis montibus magno Lamæ erecta pro ſalute & conſervatione hominum & equorum, refert Kircher in China ill. p. m. 70. Plura dabit Lydius in Syntagm. S. de re militari l. 6. c. 4. p. m. 226. & ſeqq. Ut vero arma & præcipue gladii more antiquo non, niſi in publicis fabricis & officinis fieri debebant, ita apud primos Romanos nemini præter milites, integrum erat, gerere gladium, ni pro ſicario & latrone haberi vellet. Petrus Burmannus ad Petronium Arbitr. & quidem ad cap. 82.

219, 220, 221 Calceus e cortice tiliaceo factus Vid. Olear. Itinerarium l. 2. c. 9. p. m. 114. Par calceorum, acu pictum cum chirothecis fœminæ nobilioris orientis, & par nigrorum ex rudi filo laneo a pietaſtris Witgenſteinenſibus confectum. De calceis conf. Bened. Balduinus ſutoris in Gallia filius in calceo antiquo myſtico, Ioh. Braunius de veſtitu ſacerdot. Jacob Sponius in Miſcellaneis, Fortunius Licetus de Lucernis, Antonius Binæus de calceis Hebræorum Dordraci 1692. Salmaſius de calceis veterum, in commentario de re veſtiaria. Mirabile bellum ob calceos molitores inter & ſartores natum recenſet Lehmann in Chron. Spirenſi p. m. 907. a De ſandaliis &c. Saubertus in Prodromo Philol. S. p. m. 48. & ſeqq.

De

De Christi calceis Joh. Gvilielm Wilkius. De militaribus calceis Lydius l. c. 13. c. 2. p. 46. & seqq. & constat ex Valer. l. 9. cap. 1. quod Antiochus Syriæ Rex, magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuerit. De seditione ruricolarum in Alsatia 1493, quod fœdus initum ex veteri formula vocatum, fuit calceus militaris Der Bundschuch/ agit Imm. Weber in dissert. peculiari. Gratianopoli nuper admodum lucem vidit, Traite de l' art des douliers, cujus Autor varia calceorum veterum genera, exponit. De crepidis veterum scripsit etiam Otto Sperlingius. Ceterum omnes fere rei vestiariæ vett. scriptores, quos plerosque nobis concessit Grævius tom. VI. thesauri Antiquitatum sui, de calceis etiam egerunt. De chirothecis lectu digna sunt, quæ laudatus Lydius l. 1. c. 1. p. m. 4. & 5. in medium profert, quibus commata 10. & 11. Psalmi 60. egregie illustrat. Mirum in modum me sæpe oblectavit imago, quam Johannes Weigel Proplastes Noribergensis Habitibus præcipuorum populorum tam virorum, quam fœminarum, qui in folio denuo depicti & debita diligentia recusi Noribergæ prodierunt A. 1639. præposuit. Tres viri, singuli suo habitu ut olim, ita & hodie amicti, Asiam Africam & Americam notant, quartus vero, qui Europæ nomen præ se fert, totus a vertice ad calcem usque nudus, sub dextro brachio rudem eumque

invo-

involutum pannum, ſiniſtra vero manu forficem, & ſub brachio aliud inſtrumentum ad conficiendam veſtem neceſſarium gerit. Oedipo opus non eſt, dummodo legatur Philander von Sittewald/ qui eſt Moſcheroſch in Ala mode Kehraus. ſ. viſio prima partis II. Satyricorum.

222 Cingulum Turcicum cum valido & barbaro cultro, ſimulque chalybe ad eliciendum ignem artificioſiſſime facto. Hoc ut militare eſt, ita pro omni armatura in Sacris non ſolum ſumi, prolixe & erudite docet Lydius l. c. l. 3. c. 6. p. m. 78. & ſeqq. ſed & apud profanos pro omni militia non raro poni, rei militaris antiquæ Autores, demonſtrant.

223 224 Duæ ſcuticæ, quarum una e loco pendentem habet glandem, ferream, pondo dimidii; altera ex viginti quinque funiculis, qui ſinguli in tres alios abeunt geniculatos & novem aliis, ſtellas totidem ferreas cuſpidatas admodum & ſexangulares innexas habentibus non ſine ingenio confecta eſt, Scorpios appellant. Conf. Petr. Molinæus in brevi narratione de Capucinorum origine, votis, regulis &c. c. 7. p. m. 30.

225, 226 Duo ligamenta brachiis aut etiam cruribus aptanda. Nimirum in uno quoque horum quadruplicata ſeries filorum ex orichalco ductorum inſuta conſpicitur ita, ut in quovis ordine

ordine ſedecim promineant cuſpidati horum filorum aculei, ſalacitatis & impudicitiæ averrunci.

227 Ex telis, quæ poſſideo, unicum appono, breve quidem & Germanicum, ſed vetuſtate ſua nobile, rudi ferro munitum, non pennatum, ſed aſſulatum, ut pote cum pro pennis tenues habeat aſſulas. Cuſpides ipſæ obtuſæ & craſſæ, non raro circa Arminii montem in agro quem accolæ hodie etiam vocant das Winfeld ubi olim Varus ab Arminio victus, arando effodiuntur.

228 Microſcopium nec Hockeniano nec Herteliano poſtponendum.

229 Uſque ad 36 Gemmæ figuratæ, de quibus & ſimilibus legendus eſt Roſſius, cum explicationibus Maffei Rom. in 4. cum multis tabb. æneis. Extant & gemmæ antiquæ ſelectæ e muſeo Jacobi de Wilde Amſtelod. 1703. in 4. & 50. tabb. æneis.

237 Priapulus æreus anſatus, in capſula Japonica non exigui pretii. Sacra ipſa & ritus erudita pictoris manus ita delineavit: A ſiniſtris ipſius ſtatuæ Priapi barbati & circa humeros amicti, duæ ſtant ſacerdotes, quarum altera ætate major peplo velata accurate inſpicit, ut ſingula recte adminiſtrentur, altera conſecrans Priapi peni ſatis robuſto invergit ex urceolo liquorem quem patella, quam ſiniſtra tenet, ſupra appoſitum thuribulum, e quo ſurgit ſuffitus, denuo

denuo excipit; A tergo harum ſatyrus ſedens tibia canit. A dextris ſtans honeſta matrona pariter inſpicit, quid agatur, alia vero non adeo provecta ætate utrumque poſuit genu luſtralem iſtam aquam anxie deſiderans, a cujus tergo alia ſedens obſtetrici ſimilis in gremio infantulum habet poſitum.

238 Alius cum ſcroto pariter & teſtibus, verum ligneus & carioſus quem medium manus muliere digna bene clauſum firmiter complectitur. Illo quidem ex reliquiis ethnicis reſtante Generoſiſſ. Dominus de Luning me donavit; de hoc vero, Deus bone, ut rapit miſeros ſuperſtitio cœca; præſtat hac vice tacere quam loqui. Satis erit Herodoti verba, quæ quidem p. m. 72. codicis Henr. Stephani in Euterpe, interprete Valla, refert de Ægyptiis: *Qui ſunt*, inquit, *ex eis inopes, aſſimilatos quosdam ſues*, (in margine Stephanus ſues farinaceas:) *coquunt* (coctas immolant) *redduntque ſubulco, qui illam vendiderat. Quin & alium diem feſtum Baccho Ægyptii agunt ſine porcis, ſed loco phallorum* (i. e. ficulneorum veretrorum a collo pendentium) *ſunt ab eis excogitatæ ſtatuæ e nervis compactæ*, ἀλαίματα νευρόσπαςα (quæ fidiculis tractæ moventur tanquam vivæ) *quas fœminæ circumferunt per pagos mentula nutante quæ propemodum inſtar eſt reliqui corporis*, ȣ πολλῷ τεῳ ἐλάασσον ἐὸν τȣ ἄλλȣ σώματον, *quam fœminæ Bacchum canen-*

canentes sequuntur. Reliqua periphallia h. e. Phallorum pompam vid. ib. in seqq. Diodor. Sicul. l. 1. p. m. 27. Osiridis a Typhone fratre interemti partes omnes dispersas præter pudenda, inventas fuisse, & p. 29. Pudenda ista a Typhone in fluvium projecta postea ab Iside sepulcro condita fuisse, & Græcos cum orgia sacraque Dionysia ex Ægypto transtulissent huic quoque portioni honores impendisse, eamque in sacris ac ceremoniis Phallon appellasse. Unde carmina phallica Ithyphallica, &c. de quibus Cæl. Rhodig. l. 7. Lect. I. Antt. c. 16. p. m. 304, 305, 306. Joh. Balthasar Mathesius in vita Johannis Mathesii, quæ Dresdæ Ao. 1704. prodiit post alia; *Colebatur tum Rochlicii inter alios cœlicolas, S. Liborius ceu singularis in calculo & ejus doloribus Patronus & Sospitator, cui in æde D. Petri ara dicata fuit, testaturque Mathesius se vidisse huic Liberatori sacrificii loco, oblatum ex argento, pudendum virile.* De Deo Telesphoro & detecto ejus membro virili Vid. Bücher-Saal / tom. I. p. m. 139, & seqq. & præcipue p. 141. ex epistola N. N. Autor ita disserit: Der Herr Fabretti hatte eine Anzahl pudendorum virilium muliebriumque von Thon / so er unter dem Schütte einer eingefallenen Kirche zu Vejo gefunden / welche als gelübde vor die Kranckheiten / die Sie an diesen theilen gelitten / dahin waren geschicket worden. Passim de talibus

bus etiam Beverlandus tam in lucubratione de ſtolatæ virginitatis jure, quam de proſtibulis veterum & de Peccato originis, in quibus foliis reperitur, quicquid impuritatis apud Martialem, Petronium & reliquos qui pleraque perreptarunt lupanaria, offenditur, dignus itaque non ſolum vinculis & carcere, cui affixerat nonnemo,

Hier leid de Heer van Beverland
Gevangen door een hoger Hand
Om dat he onſe beſte Moer
Gemack heft tot een voule Hoer,

Sed & exilio, licet erroris convictus A. 1680. quædam pœnitentiæ ſigna daret, devoveretque eum qui negligeret MSCta ejus vel Vulcano tradere, vel ad Autorem remittere. Relatum me legiſſe memini ipſum tandem in Gallia non procul Pariſiis annis panniſque obſitum in ſumma rerum penuria vivere deſiiſſe. A Beverlandi ſententia de P. O. non procul abeſt Helmontius in libro de ortu Medicinæ, & in demonſtratione theſeos, qua docet peccatum Adami fuiſſe, quod vim Evæ intulerit & ſtupraverit. Videatur etiam Voſſius in Comment. in Catullum. Juſtam deteſtationem libelli Beverlandi de P. O. ſcripſit Leonh. Ryſſenius 1680. Ex[illegible]t etiam Beverlandi de fornicatione cavenda Admonitio, cui accedit deteſtatio Johannis Brandini nefandiſſimi ſceleris Onani-

Onanitici 8. Æthiopiæ conterminorum Troglodytarum fœminas ex hostium suorum interfectorum virilibus conficere sibi monilia, iisque se exornare norunt isti, qui in hodœporicis sunt versati. Istum æreum nostrum aliquando ex collo fuisse pendulum testatur ansula. De magno Lama in Tangutior. regno Barantolæ provinciæ supremo Principe refert Athanas. Kircher in China illustr. p. m. 43. & 44. sequentia: *Tantis venerationis indiciis ab omnibus colitur, ut beatum ille se reputet, cui Lamarum, (quos summis & pretiosis muneribus eum in finem, non sine magno eorum lucro corrumpere solent) benigiate aliquid ex naturalis secessus sordibus aut urina magni Lamæ obtigerit; ex hujusmodi enim collo portatis, urina quoque cibis commixta, o abominandam fœditatem!* contra omnium infirmitatum insultus tutissimos, ac probe munitos se fore, stolidissime sibi imaginantur.

139 Una e locustis, quarum immensum agmen aerem Jenensem A. 1693. implebat. Has præcipue suo calamo illustrarunt, Jobus Ludolfus in peculiari dissertat. Frf. 1694. Joh. Paul Hebenstreit Jenæ 1693. & eodem anno Crelle im Heuschrecken Heer Gottes / Henr. Löber im Heuschrecken Heer / Fesken im bedencklichen Heuschrecken Heer / Abrah. Klesel Past. Prim. in Görliz im Unvermuhteten durchzug eines grossen Heuschrecken Heers. His addatur Hot-

tinger in Hist. S. sec. X. sect. I. p. m. 7. sec. XI. sect. I. p. m. 231. sec. XIV. sect. I. p. m. 657. Tavernier l. 2. c. 3. p. 67. Itinerarii Persici, ait se præsente Balsaræ quæ non procul est a deserto Arabico bis tantos per aërem locustarum volasse exercitus, ut nubis instar densissimæ aërem obscurarint. Num vero Exodi 16. 13. & Numer. 11. 31. שלוים fuerint tales locustæ, quod sentit Ludolphus in Comment. ad Hist. Æthiopicam, l. 1. c. 14. n. 96. p. m. 168. num vero piscem denotent quod evincere conatur Rudbeck filius, in Ichthyologia Biblica part. 1. aut coturnices, quæ plerorumque interpretum mens est, jam mittimus.

240 Ars Passaviensis. Autorem habuit Casparum Neuthard Hersspruccensem; peculiarem de illa tractatum scripsit, Joh. Ludwig Hardmann. Referre huc possem omnia ea, quæ fascinatoni magicæ materiam suppeditant, ni prolixitatem vererer. Superstitio hic omnia. Passaviensis hæc ars, inventum Diabolicum, A. 1611. demum in exercitu prope Passaviam, priusquam hic faceret irruptionem in Bohemiam a carnifice Passaviensi circumlata fuit, qui etiam milites in eadem erudire non veritus est. Conf. Fromman de Fascinationibus l. 3. p. 4. sect. 1. c. 7. p. 595. Joh. Rudinger in Decade I. Concion. Magicarum p. 87. &c. &c.

241 Candela magica ex embryonis sevo facta. Duas ante annos aliquot impetraveram ab amico,

co, criminalium causarum judice, quarum altera vero mihi furtim subtracta est. Pertinent huc quæ de talibus scribit æterna memoria dignus Lohenstein in Arminio suo, part. 2. l. 4. p. m. 567.

242 Tabacus, cujus fumus sugi potest, sine tubulo herba enim ipsa suæ cortici involuta est, nec illius eget. Erudita est oratio ista, quam Helmestadii A. 1653. habuit de Tabaco Jacobus Tappius, cui simul adjecit Threnodiam Nicotianæ miserabiliter vexatæ. Sic & Simon Pauli famosi istius Oligeri (de quo peculiaris extat tractatus in 4. cui titulus, Novus in Belgio Judæorum Rex, Oliger Pauli) parens Henrici Medici filius Simonis Theologi nepos, Henrici, quem gente fuisse Judæum delirat Holger f. Oliger pronepos, integrum edidit commentarium de abusu Tabaci Americanorum veteri, Argent. in 4. 1681. Quemadmodum etiam huc pertinent Stephani Blancardi Zuverläßige Gedancken von Thee Caffee Chocalat und Toback 1705. in 8; Joh. Chrysost. Magnanus de Tabaco, Monf. Fagon Atchiater R. Gall. de operationibus noxiis Tobaci. Petri Jacobi Balde invectiva in Tabacum It. Zeiler Cent. 1. Epist. 71. p. m. 575. & seqq. Benzo in Itin. l. 1. c. 26. p. 115. appellat Ein Pestilentzisches dun Höllen Gifft. Londini dudum ultra 7000. numeratas fuisse Tabaci officinas, docet Er. Francisci ex Barnaba de Ryke & En-

gelgravio, in der Gold Cammer Consid. 16. p. m. 373. Quæ de Tabaco tabernis & tabernariis ejusdem Persarum & Muscorum refert Olearius in Itinerario suo passim, nec non Joh. Georg. Korb. in hodœporico Dominorum de Gvarient & Ralli, singularia sunt. Celeberrimus Kæmpferus noster circa Casanam Tartariæ vidit bajulos, qui perforatum cornu bubulum Tabaci foliis plenum super positis carbonibus paucis haustibus evacuarunt, ex quo instar epilepticorum prostrati pituita spumoque diffluentes jacuerunt. Vid. Amœnitates ejus Fascic. 3. Obs. 15. §. 2. p. m. 640. & seqq. ubi etiam de variis Turcorum, Sinensium Japonum Europæorumque &c. fumum trahendi modis agit, Persarum vero machinas æri incisas simul apposuit. Faceta quæstio est, ad quam respondet Autor Epistolarum interceptarum in De la Ravage p. m. 95. nimirum, Ob es einem Geistlichen oder Schulbedienten Sünde sey/wenn Er Taback rauchet?

242 Cornua quædam & ossa marina.

243 & 244 Hippopotami.

245 Marsupium cervi odorati pilis vestitum, ex quo muscus petitur vid. Kircher. l. c. p. m. 190. & seqq.

246 Phylacteria Judaica eaque admodum genuina, reperta in marsupio Judæi Hassi fugitivi, at glande trajecti, quæ quidem miseri uxor a me

me cui a judice summo oblata fuerant, precibus & pretio sed frustra redimere volebat, nimirum תפלין של ראש & cum his תפלין שליך. frontalia & brachialia. Memini mihi quondam in præcipua Germaniæ Bibliotheca talia fuisse monstrata, ceu spolia rarissima & cimelia tam præclara Bibliotheca digna. Item ארבע כנפות s. thorax manicis carens cum suis ציצית seu filis laneis.

247 Longitudo S. sepulchri ex serico insigni arte facta, intertextis inter turres & cruces verbis: LONGITUDO SANCTISSIMI SEPULCHRI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

248 Rosarium in ipso Domini sepulchro lustratum (testis est nostræ fidei vir fide dignus), & ut ferunt ex ligno domus B. V. Nazarethano factum, quod vero novum pleraque veterum mihi suspecta reddit.

249 Aliquot particulæ operis Musivi templi Ephesini, de quo tessellario passim evolvendus est Tenzel. in Colloqq. menstruis.

250 Vertebræ aliquot immanis serpentis.

251 Annulus ex chymico metallo factus, A. 1684. exploratus pestis proditor; Conf. Kirchmann de annulis, & præcipue p. 240. de iis, qui malis geniis pellendis fuerunt, & averruncandis morbis ut & integrum caput 21. p.m.232.& seqq. Nec injucunda sunt quæ Herbelotius in Lexico suo universali post alia, refert, nimirum nugas eorum,

qui de Soleimane [h. e. Salomone Judæorum Rege tradunt, annulum nimirum habuisse cujus ope mira quam plurima peregerit, quem cum in balneo aliquando deposuisset, furia infernalis surripuerit & in mare dejecerit; quo cimelio orbatus Soleiman, quadraginta dierum spatio thronum Regium non conscenderit &c.

252 Argentum chymicum ex officina Cajetani impostoris non Comitis, sed auri fabri filii, qui Custrini veste ex auro spurio indutus suspensus, & catena inaurata suffocatus fuit, d. 23. Aug. 1709. Quarta hæc pars Unciæ, ex octo ferri pondo elicita & extracta fuit, teste eo, qui eidem officinæ operam suam tunc consecraverat. Hoc malleum jam sensit, purissimum interea. Est & alia mihi particula ex eadem fabrica, ut quidem ex catino prodiit. Hæc me inter cimelia referre nemo, qui rei peritus, dubitabit.

253 Scriptura Malabarrica in corticula ejusdem provinciæ exarata a puero Malabarrico, quem secum inde ad nos eduxerat Dominus Plutecheau Missionarius Danicus, cujus argumentum est, Ich geh in die Irr und weis nicht wohin, als ein verirrtes Schaff. Conf. Notabilis Relatio ex India orientali, quam duo concionatores Evangelico Lutherani, nominibus Bartholomæus Ziegenbalg Pulsnitio Misnicus, & Henricus Plutscho Wesenberga Megapolitanus a Potentissimo Daniæ Norvegiæque Monarcha d. 25.

d. 25. Nov. 1705. Hafnia in coloniam Indiæ Orientalis Danicam Trangebar missi, ut periculum faciant, num finitimi ethnici aliquo modo ad Christianam religionem adduci possint &c. Relationem hanc imprimi curavit Joachimus Lange tunc Ecclesiastes Berolinens. hodie Profess. Th. Halensis. Ziegenbalgius vocat se Ministrum Verbi divini inter ethnicos. Istos non multum post, sequebantur alii duo, M. Joh. Ernst Gründler Weissenseensis Thuring. & Joh. Böving Hattingens. Westph. quibus comes dabatur Polycarpus Jordan, Studiosus. Notatu dignissima sunt & huc pertinent, Illustris Seckendorfii l.3. c.13. §. 10. p.m.715. & seqq. des Christen Staats/ verba, & inter ista præcipue hæc: Es will nicht zu erweisen seyn/ daß der Christenheit/ oder auch einer Geist und weltlichen Gewalt und Commun obliege auff solche masse Leute auszusenden die in denen Heidnischen oder Türckischen Landen -- blosser dinge zubegeben öffentlich zu lehren und gleich das Leben drüber zu lassen/ den es hiesse sonder zweiffel Gott versuchen/ weil kein sonderbarer Beruff / noch dazu gehöriges Zeugniß der Wunder / und die Krafft des Geistes Christi / dadurch Er / (Paulus) von Jerusalem (in notis, In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus S.) alles mit dem Evangelio erfüllet habe. His adde D.

Joh. Georg. Neumann Diſputatio de Pſeudapoſtolis veteri & recentiori Eccleſiæ infenſis Sect. 4. §. 3. & Appendix prior Theoſophiæ orthodoxæ Joh. Guil. Jani de Miſſionariis Malabaricis.

254 Deaſter Japonicous in oryzæ ſedens grano, tenuiſſimoque incluſus vitro, granum vero ipſum ſuſtinetur culmo ex alio oryzæ grano erecto eoque gracilimo, nimbo fuſco cinctum habet caput. De nimbis vid. Hilſcher de erroribus pictorum §. 8. Ab Ægyptiis derivat Kircher in Oedip: I. 2. claſſ. 7. f. 87. Ego potius a nubis & ignis columna; quemadmodum Poëtæ veteres nullum numen mortalibus apparere ſtatuerunt ſine nimbo, h. e. nube divina, ſ. fluido lumine, quod Deorum capita tingit & cingit, id quod nec Japonenſibus ignotum fuiſſe antiquitus, hic deaſter noſter in oryza ſedens in pulvinari viridi, demiſſis ad terram manibus, teſtis eſt. Jacca an ſit, non adeo certus ſum. Interim ſi foret, uti mihi quidem ſit veriſimile, quis negaret ab impoſtore Satana & in remotiſſimis iſtis orbis angulis venerandum nomen יהוה יה ad diabolicam tractum fuiſſe ſuperſtitionem? Integra fabrica, non Arachnes, ſed Palladis ipſius, aut etiam Dædali opus eſſe videtur. In gratiam ejus ego A. 1699. ipſis Idibus Octobris, in ſolenni panegyri, orationem habui.

255 Atramentum Chinicum non quale vulgo proſtat ſed Regium, non characteribus ſolum, verum

rum etiam viro Chinico insignes flores eosque pictos & inauratos, ipso etiam in fronte & pedibus aurato portante, notatum, Käyser Tusche.

256 usque 262 Varia Chinica & & Japonica, inter quæ Malleus ex uricornu perpolite constructus capite orbiculato & compresso, cui pondus conciliat inclusum plumbum alterutro latere, quod pulsui dicatur aluta violacei coloris obducto, una cum acu argentea & tenuissima cujus manubrium nonnihil densum & in longitudinem striatum. His instrumentis utuntur Japones in curatione colicæ. Quomodo hoc fiat monstrat Nobiliss. Kæmpferus Observat. II. fascicul: 3. Amænitatum suarum exoticarum, p. m. 582. & seqq. ubi in imagine apposita, singula elegantissime expressit. Charta crassior & mire valida affabreque picta, quanta quidem pro vestimento sufficit, in volumen ita compacta, ut, jures, esse gossipinam vel sericeam. Hanc ut pleraque Japonica ex liberalitate laudatissimi Kæmpferi possideo, qui de chartopœia Japonica l. jam c. Relat. fasc. 2. p.m. 466. & seqq. pluribus agit.

263 Terra Malthensis signata, quæ alias etiam terra Pauli vocatur, de qua evolvi potest Aloysius della Fabra Med. Ferrariens. in Differt. 2. Physico-Medica A. 1712.

Usque ad 460. Imagines & picturæ pictorum & sculptorum celeberrimorum Vg. Alberti *Duref*, cujus melancholiam reliquis merito præfero. A. V. *Venne*, *Jacobi Mathami* Golzii discipuli,

 ipsius

ipſius *Golzii Petri Jodii*, pariter Golzii diſcipuli, *Petri Pauli Rubens*, *Joh. Bollii*, *L. Cranich*, *L. a Leiden Alte Grav*, *Joh. Stradami*, *Philippi Galli*, *Cornelii Galli*, *Jacobi Calotti*, *Raphaelis Cuſtodis*, *de Voſſ. Raph. Sadeleri*, *Pauli Prit*, *Joh. Sadeleri*, *Ægid. Sadeleri*, *R. Saverii*, *Baſſanis Alciati*, *Petri Stephani*, *Hemskerken*, *Gabr. Weyeri W. Buyttewech J. van den Velde*, *Troschilis*, *Fleiſchbergeri*, *Hureti*, *a Boſſe Titiani*, *van Rye van Vliet G. Chriſtmanni*, *Vaccharii*, ISL, ISB &c. &c. Hiſtoriam & Vitas celeberrimorum Europæ pictorum, Hamburgi, A. 1710. edidit Mr. de Piles. Cui jungatur Jacob Sandrart de antiquis pictoribus, Norib. 1653. in f. Sentimens des plus habiles Peintres, ſurla Pratique de la Peinture & Sculpture par Henry Teſtelin Paris 1696. in f. Anmerckungen der fürtrefflichen Mahler unſerer Zeit / über die Zeich und Mahler-Kunſt / Nürnb. 1699. Opera Vaſari, Rudolphi, Caroli Dati, Baglioni, Comitis de Malvaſio, Pietri Bellori, van Mander, Cornelii de Bie Felibien &c. &c. It. Fr. Junius de pictura veterum Roterdam 1695. in f. Converſations ſurla connoiſſance de la Peinture avec lavie de Rubens a Paris 1677. &c. Miſſon in Itin. Ital. p. 492. die Ahrt mit Oelfarben zu mahlen iſt nicht alt / und von Johann Heugg Anno. 1450. erfunden worden.

461 An-

461 Amnion, h. e. interior membrana, qua Hans Sachs, sutor & Pœta, in utero inclusus obtectus fuit ita laborata, ut imaginem ejus justæ magnitudinis ad pectus usque summa arte factam repræsentet. Hoc naturæ & artis opus omnes, quotquot vident rarissimis rebus anteferunt. Subscripti sunt rhythmi sequentes:

Zwey Monath ein und achtzig Jahr alt
War ich Hans Sachs in der Gestalt
Von Enders Herrn eysen ab gemahlt

Ein Kind war ich auff die Welt geboren
Zum Kinde bin ich wieder worden
Den all mein Künste hab ich verlohren

GOtt bescher mir ein seelig End
Und nem mein Seel in seine Händ
Geb mir auch ein frölich Verständ.

ANNO DOMINI MDLXXVI.

Conrad Sax, qui primum a secretis fuit intimis Frideric. Com. Palat. Electt. & Reg. Bohemiæ, dein vero apud Noribergenses Archigrammateus factus est, sua manu in charta, in qua servatur hoc amnion, scripta hæc nobis reliquit verba: Inliegendes Hanssen Sachsens Bildnüß / ist auff seinem Bürdlein / darinnen Er in Mutterleib gelegen / abgemahlet / ist meines Anherren Georg Sachsen so 1553 allhie zu St. Laurentii copuliret worden / coætaneus gewesen / hat 2. Weiberge-
habt

habt deren andern encomium und lob lege in seinen 5ten Buch part. 2. fol. 330. Ejusdem vitæ genus ibid. f. 413. Hat hie zu Nürnberg im Meelgäßlein gewohnet / dessen Wohnung zwar klein aber 3. Gaden hoch / hat 3. Stüblein in dem untern ist seyn Bildniß / darunter gedruckt.

In diesem Hauß wohn ich Hans Sachs
GOtt geb daß Glück und Heil drin Wachs.

In dem obern Stüblein ist wider sein Bildniß / darunter gedruckt / Hans Sachs ward gebohren im 1494. Jahr / d. 5. Novembr. ist gestorben Ao. 1575. den. 17. Jan. Hat also 81. Jahr gelebt. Itzund ist dieses ein Wirthshaus bey dem Güldensterrn genand. His manus B. soceri mei Joh. Conradi Saxens Conc. Filii annexuit sequentia; Ist meinem Vater Conrad Sachsens für eine solche rarität verehret worden / von Herrn M. Ridnero des Gymnasii zu Nürnberg Rectore wegen gleichen Nahmens und in singularis benevolentiæ testimonium. J. C. S. De sutore hoc & ludimagistro Noribergensi, alii bene alii male sentiunt. Ex innumeris fere ejus carminibus Daumius quædam Autoris manuscripta possidebat, magnique faciebat. Plura de eo vid. in Actis Erud. A. 1682. p. m. 275. & Tenzel in Monatl. Unterred. t. 1. p. 809.

462 Augustus Dux. Br. & Lun. una cum Uxore Sophia Elisab. non pictus sed scriptus & ex di-

dis

ctis biblicis compositus ab Henrico Julio Willershausen 1645. Nec non ab alio artifice scriptus in membrana Gustavus Adolphus R. Svec. & quidem ex Psalm. XCI, ut & Christina Regina. De hoc picturarum genere vid. Tenzel. l. c. A. 1694. p. 79.. & seqq.

463 Aquila Romana biceps cum corona imperiali pariter in membrana ex Psalmo CXV. constans auroque nitens.

464, Usque ad 469 Amicorum & Patronorum Indices, Stammbücher / quorum unus Nachotii non solum ob picturas quasvocant minitas, Miniaturen inæstimabiles, sed & insignia, ac summorum Principum, summormuque virorum manus & Symbola merito in pretio a me habetur. Sed inter hæc Friderich Pfaltz-Grave post Elector &c. cum Symbolo, S. V. N. D. V. M. Adolph Frideric, Hertzog zu Mechlenburg / Wolfgang Wilhelm Pfaltz-Grave / Joh. Friderich Pfaltz-Grave / Georg Willhelm Pfaltz-Grav. Henr. Wenceslaus Dux Monsterbergens. Georg. Rudolphus Dux Lignicensis &c. Carolus Fridericus Dux Monsterbergensis, Antonius Scherlzius magni Persarum Regis legatus &c. &c.

470, 471, 472, 473 Tabulæ cupreæ & ligneæ minutæ admodum, in quibus artificiosissimæ imagines Johannis Elect. Sax. Friderici IV. Palatini, Augusti, Palatini, Philippi Ludovici Palatini & Uxoris ejusdem ab ingeniosissimo pictore factæ, conspiciuntur. IN-

INTER MSCta PRÆCIPUA SUNT,
IN FOLIO.

1 In charta Hollandica eleganter ſcriptum Theatrum Germaniæ magnæ, ſive Memorabilia & ſingularia Variarum Germanici Imperii Regionum, Populorum Provinciarum, Regnorum, Principatuum, Ducatuum, Comitatuum aliorumque Dominiorum & in iis urbium præcepiarum notabilia viſuque digna cum ſelectiorum imaginibus conſcripta & de Archetypis expreſſa &c. Liber primus de Memorabilibus & ſingularibus Germaniæ magnæ in genere, liber ſecundus de memorabb. & ſingg. Germaniæ Auſtralis, lib. tertius de memm. & ſingg. Germ. Meridionalis, quartus Germaniæ ſuperioris, quintus Germ. inferioris, ſextus Germ. Occidentalis, ſeptimus Germ. ſeptentrionalis agit. Et cum amplum ac ſplendidum hoc volumen eadem fere, quæ Chytræus ſiſtit, exhibeat monumenta, de eo aliquando cum Excellentiſſ. Struvio Contuli, quid de eo ſentiat, ſingnificabit ejusdem epiſtola ſupra poſita.

2 M. Chriſtoph. Leibnizii Paſtoris ad Sctm Jacobi Norici Wahre und gründliche Eröterung des eigentlichen und höchſt gefährlichen Oſiandeviſchen Religions Streits von der einigen ewigen Gerechtigkeit des armen Sünders / wie ſolche mit Oſiandro zu behaupten in Nürnberg ſich unterſtanden die Herren / Wolff Schlauerſpach / und Balthaſar Herold A. 1624. Plagull. 48.

3 Chro-

3 Chronica der Stadt Nürnberg ab ævo Augusti ad A. C. 1600. nitidissime scripta in spisso volumine.

4 Decretum Senatus Noriberg. occasione controversiæ de S. cœna ibidem motæ latum & in membrana elegantissimis literis auro passim innexo exaratum A. 1577. cui sua manu subscripserunt, M. Georgius Pfister Pastor Eccles. Feldensis, Joh. Hugius Diaconus, & Sixtus Hammonius Pastor Vißbacensis; Plagularum trium.

5 Consilium Heldi Cancellarii Caroli V. pro Imperatore contra Papam, plagg. 40. A. 1624. Consilium hoc impressum fuisse eruditis constat, & quidem sub titulo: Ausbundiger treuer Rathschlag darinnen von des Käysers und Papsts Gewald gehandelt wird.

6 Von Ehsachen der Juristen und Theologen zu Nürnberg Bedencken A. 1531 plagularum 18.

7 Rechtliches von der Röm. Käysserl. Maj. allergnädigstes erfordertes Bedencken D. Wilhelmi Bidenbachs in Bedingen ad Artic. 8. de indulgentia aliqua ratione Instrumenti Pacis Osnabrugæ A. 1650. plag. 6.

8 Varia eaque singularia ad tumultum Bohemicum & integrum Bellum tricennale spectantia, quæ sola modicum libri corpus conficere possent.

9 Judicium Vincentii Valentini Doctoris Romani de Infinitate Dei.

10 Ein Christl. Bedencken über etl. Casus, so

sich

sich pflegen zu begeben / wenn die hohe Obrigkeit im Lande der untern Ständen die Warhafftige Christl. Religion zu spärren anfähet volumen modicum, A. 1620. literis consignatum, simul etiam primas religionis turbas in Austria ortas, complectens.

11 Liber charactere Turcico in charta Turcia scriptus.

12 In membrana quatuor Evangelia latina cum canonibus Eusebii, ab ipsa antiquitate spissis asseribus & serico vestita rudique filo consuta, quæ Jenensibus, quæ tamen inter vetustissima illius Bibliothecæ MSCta teste celeberrimo Struvio, habentur, si non ante ferenda, post ponenda tamen neutiquam sunt.

13 Collectaneum Infortiatum, S. Abriß etlicher Antiquitäten. Scilicet octoginta seu vivis, ut dicunt coloribus, seu rudi crena delineata exhibet tumulorum monumenta, una cum epitaphiis, inter eaque Antenoris, Livii Ciceronis, Ovidii Euripidis Virgilii, Claudiani, Plinii Senioris, Æmilii Pauli Valerii Maximi, Lucretii, Persii, Capnionis, Conr. Celtis, Callimachi, Petrarchæ, Dantis, Alciati, Angeli Politani &c. &c.

14 Vestibulum Chinense in charta Chinica & foliis duplicatis scriptum, quatuor Chinensium scribendi modos in se continens; Sunt vero isti; Firo Cauna & Catto cauna vulgares, SSo & SSiu, eruditi, prout me docuit laudatissimus Kæmpferus.

15 Chre-

15 Chronica Auſtriæ latina ex Originalibus, quæ in Bibliotheca Vindobonenſi aſſervantur in membrana, deſcripta.

16 Scheineri S I. fundamenta gnomica cum figuris.

17 Integrum volumen variorum & antiquitate & argumentorum nobilitate inſignium, inter quæ, Epiſtolæ Viti Theodori, Buceri, Andr. Oſiandri (adeſt etiam manus Melanthonis) Athanaſii Kircheri, Mareſii, Königii; Sauberti, Lutkemanni, Val. Andreæ, & qui omnibus præponendus fuiſſet, Auguſti D. B. & L. propria manu ſcriptæ. Benedicti Maruffi Itali ac Nobilis Placentini capita quindecim, ipſius manu ſcripta, ad nonnullos Profeſſores Theologiæ ac Rectorem Roſtochienſis Academiæ, A. 1647 ibidem affixa, quibus aliquam in religione mutationem propoſuit, &c. &c.

IN QUART.

18 Varia Georgii Calixti, Conringii & Joach. Hildebrandi It. Epiſtola D. W. ad Superintendentem E. exarata hunc in modum: *Ancilla quædam e noſtratibus in domo mea 16. Jan. currentis anni eſt mortua, quam, quum paupercula eſſet, honeſte ſepeliri curavi. Binis ſeptimanis poſt Cacodæmon ſpeciem vocemque defunctæ præ ſe ferens, ſemel atque iterum ab alia ancilla in ædibus noſtris errare, atque ob ambu-*

lare visus fuit, quin, & compellatus, Ille & illa primum imperialem minoris monetæ linteolo inclusum de se projicere, paucis diebus intercedentibus aureum numum incurvatum chartulæ inclusum spargere, & denique totum uncialem in culinam devolvere. Aliud exinde nos concludere non potuimus, quam hoc, pecuniam istam furto ante hac fuisse ablatam, & ideo jussimus, ut pauperibus in usum cederet. Spiritus interim nequam, per sagas suas, quarum tres fuisse ex certis colligimus indiciis, 20. Febr. uti & primis Martii diebus bene multis in ædibus meis, furiosissimos excitavit tumultus; post ejulationem aliquoties auditam, omnia perreptavit & infestavit conclavia, maximamque fenestrarum partem lapidibus ducenties projectis, confregit, ut nobis, vix uno excepto hypocausto nusquam tutis esse licuerit. Cumprimis Diabolus Dei permissu, sæpe numero meum ingressus est, semper quamvis inconspicuus, cum suis satellitibus Musæum & damnum intulit aliquot libris, non sine labore & sumtibus resarciendum. Nam ex editionibus S. Bibliorum Vinariensi & Luneburgensi, Osiandri quoque & Tossani, quæ in mensa jacebant, usibusque meis deserviebant impuris & sceleratis ungvibus, folia oppido multa summo cum impetu eripuit, idemque scelus vix auditum commisit in Casibus conscientiæ D. Balduini, in tertio libro Scholæ Pietatis & Homiliis latinis B. Gerhardi, & bis in commen-

tariis

tariis] D. Tarnovii super Prophetas minores. Dubia Evangelica Spanhemii, & meum ipsius libellum, cui de horis Christiano celebrandis & piæ orationi destinandis, titulus est præscriptus de fenestra in plateam projecit publicam, quamvis absque omni læsiuncula. Die qui apud nos 6. Martii pœnitentiæ, precibus & jejunio consecratur, ante tertiam pomeridianam tres libros a Calvinianis conscriptos, nimirum Idololatriam Vossii, Conciones passionales Sibelii & primatum Papæ Salmasii e bibliotheca mea desumsit, penes eam in pavimento collocavit, & illis aliquid, sit venia dicto, de alvi fæcibus, fætorem exhalantibus intolerabilem, super imposuit. Præterea duabus vicibus aliis phialas podicis excrementis implevit, & alterutram Chronologiam Alstedii obtexit, quin & vetulæ ejus Musæum terque quaterque perminxerunt. Una ex illarum caterva tempore nocturno primum in gliris, & de inde in felis subnigricantis forma sese insinuavit, lectisternio viri cujusdam ex ima vulgi fæce, qui ob cispellendum, aut minimum mitigandum noctis concubiæ timorem in ædibus meis capere jussus est. Cauda felis cujusdam itidem nigri a milite quodam animoso gladio est resecta, quæ mutata fuit in cincinnum, (Weiberflechten) *Mensula insuper quædam lapidea est percussa & dimidiam sui partem desuper confracta, indeque mihi sunt ablati XL. prope imperiales. Sed & annuli aurei,*

imo alia quoque, quæ ad mundum pertinent muliebrem ſurrepta, donec tandem Dei beneficio 13. Mart. plebs illa Sathanæ miſſa eſt.

19. Graweri opus Metaphyſicum & Logicum.

20 Rituale baptiſmi Eccleſiæ Catholicæ Germanicum in membrana ſcriptum antiquitate coruſcans.

21 Joh. Warners Prophezeyungen.

22 Geſchlechter Buch der Rhatsfähigen und Un-Rhatsfähigen ſamt ihren Waapen und waarzeichen der Stadt Nürnberg/ ab A. 1105. ad A. uſque 1526.

23 Rhats wahl/ oder Bürgerm. Buch der Stadt Nürnberg nebſt verzeichniß der genanten des gröſſern Rhats ab A. 1360. ad A. 1654. quod volumen ſingula tam electorum quam eligentium nomina coram ſiſtit.

24 Joh. Matth. Tubertini epiſtola de puero Tridentino A. 1475. ſecundo nonarum Aprillis ad Senatum Brixienſem ſcripta, omnibus probatis veræ antiquitatis notis coruſcans. Hanc nuper cum Papebrochii collatam imprimi curavi, eaque tanquam inſigni teſtimonio, puerum Tridentinum demonſtravi atque defendi. (De MSCtorum antiquitate & valore evolvatur Thomas Bartholinus, Diſſert. 4. de legendis libris, p. m. 69. 78. & ſeqq. laudatus Stru-

Struvius in Actis literariis ex MSCtis erutis, Fasciculo 1. de criteriis MSCtorum a §. 1. ad §. 42. Maderus in commentationibus de Bibliothecis atque Archivis, per Schmidium A. 1702. denuo editis, p. m. 219. 221. & 225. &c.

25 Æneæ Senensis Episcopi Epistola ad Johannem Sancti Angeli Diaconum & Cardinalem, de Bohemis & Hussitarum motibus ac moribus, cui accessit Dialogus Æneam inter & Georgium, Nicolaum & Galethum. Hanc cum Deo proxime prelo concessurus sum.

26 De festis quæ in Ecclesia A. 1301. viguerunt.

27 Chronicon Rom. Pontif. & Imperatorum, quod explicit A. 1414.

28 Miscellanea varii argumenti, variorumque Autorum, & inter ea Acta quædam Huberiano Hunnio-Helmboldina.

IN OCTAVO ET DUODECIMO.

29 Verzeichniß/ wie es zu Mülhausen zugangen/ da die Lutherischen Prædicanten sind ankommen/ was sie geprediget haben/ und wie sie mit denen Catholischen sind umbgangen.

30 Omnes Romanæ Ecclesiæ Abbates ordine Alphabethico consignati, (2.) Rescriptorum, quæ a S. Pontif. emanant quædam in forma

Brevis, quædam in forma Bullæ. (3.) Provinciale omnium Ecclesiarum Christianarum. (4.) Festa in Rom. curia colenda. (5.) Duo tractatus Italici ad conclave pertinentes. Liber ipse elegans est, & nitore literarum fulget.

31 Liber precationum Germanicarum, ante secula tria circiter scriptus, literarum venustate insignis.

IN MINIMO.

32 Missale græcum in charta Turcica nitidissime cum notis musicis, at sine lineis, exaratum. Hic non pigebit audire Autorem deß Bücher Saals ita loquentem p. m. 15. daß fünffte ist ein specimen eines alten von 1000. Jahren geschribenen Missalis, welches Mabillon in dem Bobischen Kloster auff denen Cottischen Alpen gefunden / wohin es vielleichte Betulfus dessen Nahmen man am untersten theile eines Randes findet und der im 7. seculo in dieses Kloster kommen / und nach Attalæ tod Abt worden / aus dem Luxovischen Closter gebracht. Der Herr Ruinart muhtmasset / daß solches vielleicht eines von dennen jenigen Meßbüchern sey / welche sie zur selben Zeit auff Reisen bey sich führeten / wie Er aus Gregorii Turonensis Bücher de gloria Confessiorum erweiset. Antiquarum notarum musica-

muſicarum materiam tantæ Venerandus Dn. Schmidius noſter §. 29. Diſſertationis de Cantoribus Eccleſiæ V. & N. T. docet eſſe dignitatis ac difficultatis, ut peculiarem diſſertationem ſibi vindicare queat. Interim ibidem prægustum de notis muſicis græcis & latinis dedit. Hoc ipſo anno novo plane modo Excellentiſſimus Dn. von der Hardt/ Præpoſitus & Prof. Fautor noſter honorandus, tonorum & accentuum græcorum diſtantias ſtitit in ſcala Muſica, in Arcano accentuum Græcorum. Aliter olim canebant Ebræi, aliter Græci aliter Latini, & hi quidem ita ad annum uſque fere milleſimum ut plurimum, ut modico vocis flexu pſallentes reſonarent, & pſallens pronuncianti propior eſſet, quam canenti, unde Voſſius cap. 21. de ſcientt. matthemm. ait: *Non hoc egere veteres Chriſtiani, ut minuritionum delitias ſectarentur &c.* De miſſaticis cantionibus & officio Ambroſiano a Carolo correctis, prolixe, Sigeb. ad Ann. 774. 790. Gobelinus Perſona Coſmodr. c. 40. pag. 193. Durandus l. 5. Ration. divin. offic. c. 2. Fr. Lindenbr. Gloſſar. lingv. lat. f. 1369. Goldaſt. t. 1. rerum Alemann. pag. 114. Prolixius & his & reliquis ad veterum Muſicam & hymnos pertinentibus, nec non Scriptoribus, qui in hoc argumento verſati fue-

fuerunt, egimus in diſſertatione V. Schediaſmatis noſtri Philologico-Critici Muſicam tradente Anno 1700. Et tantum de exiguo noſtro Muſeo. Quod reliquum eſt, Deum veneror, ut inpoſterum artes ſcientiasque ſartas tectasque conſervare velit. Tu vero Benevole Lector, ut haſce qualescunque commentationes noſtras æqui bonique conſulas, obſervanter juxta & officioſe rogo.

FINIS.



